AUTHOR:

LINPINSEL, EDUARD

TITLE:

QUAESTIONES PLAUTINAE

PLACE:

LINPINSEL

DATE:

1913

Master Negative #

92-80664-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Linpinsel, Eduard, 1887-
Quaestiones Plautinae; Plautus qua ratione verba temporalia in versibus collocaverit atque praedicata obiecta subiecta per binos versus distribuerit, commentatio philologica quam ... scripsit Eduardus Linpinsel ... ex typographia Iosephi Hansen Telgtensis, 1913.
101 p. 24 cm.


Thesis, Münster.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm
REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-7-92
INITIALS MT
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202








Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QUAESTIONES PLAUTINAE.

PLAUTUS QUA RATIONE VERBA TEMPORALIA IN VERSIBUS COLLOCAVERIT ATQUE PRAEDICATA OBIECTA SUBIECTA PER BINOS VERSUS DISTRIBUERIT.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM PHYSICORUMQUE ORDINIS IN ALMA UNIVERSITATE GUILELMIA GUESTFALA MONASTERIENSI

SCRIPSIT

EDUARDUS LINPINSEL
GUESTFALUS.



EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI HANSEN TELGTENSIS
1913.

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum commentationem typis expressam esse testatur

H. Ehrenberg
ordinis philosophorum h. a. decanus.

De hac commentatione ad ordinem rettulit

P. Sonnenburg.



PARENTIBUS SACRUM.

Prooemium.

Leo in libro qui inscribitur „Der saturnische Vers“ pg. 14. adn. 1.[1]) statuit verba, quae arte cohaerent, versus exitu non seiungi. Si autem seiungantur, causam seiungendi esse exquirendam. Quae observatio, quantopere in Plauto valeret, tres viri docti quaesiverunt, Appuhnium dico atque Prescottium Wiebiumque.[2]) Cum ab his duobus ei Plauti versus tractati sint, in quibus attributum a suo nomine versus fine seiungitur, Wiebius autem praeter adiectiva pronomina numeralia etiam genitivos afferat, mihi in animo est, quibus rationibus verba temporalia obiecta subiecta versus exitu seiungantur ac per binos versus distribuantur, quaerere, quae res, quam contorta sit ac difficilis, Ammann exposuit his verbis: Bemerkt sei nur, dass die relative Geschlossenheit der adnominalen Gruppe den Vorteil gewährt, dass immer eine Hauptbeziehung im Vordergrund

---

[1]) Abh. Gött. Ges. 1905: Für Fragmente saturnischer Gedichte muss es gelten, dass ein kurzer Satz ein Vers ist; ein langer Satz muss sich vers- und kolenweise in seine Nebensätze oder Satzteile zerlegen. Die allgemeine Erwägung lehrt das wie die Betrachtung der Inschriften und der plautinischen Technik. Vers und Satz fallen ursprünglich zusammen; in ursprünglichen Gedichten aus der Zeit unausgebildeter Hypotaxis tun sie es überall (so im Arvallied). Die Kunstpoesie hat in ihren Anfängen, wie sich die Satzbildung mächtig entwickelte, mit dieser der Poesie innewohnenden Forderung gekämpft und sie auf die Norm beschränkt, dass im Satze eng zusammengehörige Wörter nicht durch den Vers getrennt werden dürfen, wenn sich nicht die Trennung durch einen besonderen Umstand als berechtigt erweist: äusserlich durch Länge, durch alliterierende oder andere einander suchende und anziehende Wortverbindungen, innerlich durch Nachdruck oder sonst stilistische Absicht des gesonderten Wortes. So erscheint der Gebrauch bei Plautus ausgebildet.

[2]) G. Appuhn, Quaestiones Plautinae, Marpurgi 1893. (Hic totam rem absolvere conatus est), Prescott, Some Phases of the Relation of Thought to Verse in Plautus. Univ. Calif. Publ. Class. Phil. Vol.

gehalten werden kann, während z. B. das Verbum durch seine engen inneren Beziehungen zum Subjekt, den Objekten, Adverbialbestimmungen usw. gewissermassen nach allen Seiten gleichzeitig gebunden ist.[3]) Atque Leo pg. 14. adn. 2: Mit der Untersuchung, inquit, über die Worttrennung durch den Vers muss die über die Wortstellung verbunden werden. Sed cum pauci neque quisquam data opera quaesiverint de verborum temporalium ac nominum in Plauti fabulis collocatione, quo loco verba temporalia collocarentur equidem cognoscere studui, nominum autem collocationem, quae magnas difficultates habeat, ne fines quaestionis nimis exederem, omisi. Qua in re quod satis habui usum senariorum iambicorum (praeter prologos) ac septenariorum trochaicorum examinare omnibus me harum rerum peritis probaturum esse spero.

Paromoeosin, quae quantum in Plauto valeat nemo ignorat, non ubique commemoravi, tum imprimis, si aliae disiungendi causae repertae sunt, neque alias obvervationes ut Plauti usum, quo verba iambicae creticaeve mensurae in versus exitu scribit, quod ea omnibus nota sunt ac facile causis allatis ab eo, qui haec legit, cognoscuntur. Eos quoque locos praetereo, ubi eadem orationis pars bis terve vel quater eodem versu auditur, nec vero eos, ubi duo inveniuntur obiecta, alterum dativi alterum accusativi casus.

A. De collocatione verborum temporalium.

Indaganti quo enuntiati loco quodlibet genus verborum collocetur, apertum fit in sermone pedestri veteres scriptores aut secundum usum per aeva exercitum singula disposuisse

1. No. 7. 1907. Wiebe, De versus sententiaeque concinnitate apud veteres poetas Romanos quaestiones selectae Gott. 1909. Conf. praeterea Winthrop L. Keep, The Separation of the Attributive Adjective from its Substantive in Plautus, Univ. Cal. Publ. Class. Phil. Vol. 2. No. 7. 1911. ac Prescott, Studies in the Grouping of Nouns in Plautus, Class. Phil. 1909. Vol. IV. 1. pg. 1.

[3]) Ammann, Die Stellungstypen des lateinischen attributiven Adjectivums und ihre Bedeutung für die Psychologie der Wortstellung auf Grund von Ciceros Briefen an Atticus untersucht. Ind. Forschung. 1911. XXIX. 1. 2. pg. 1.

aut eis, quae dicere volebant, impulsos esse, ut usitate loqui nollent. Eis enim notionibus, quae graves videbantur esse, auctores insignem sententiae locum dabant adeoque temporibus linguae eruditae artibusque a rhetoribus inventis excultae figurati sermonis dulcedinem dilectam esse videmus, ut notiones sensu usuque coniunctae dirimerentur alienaeque coniungerentur. Poetas, quamquam has collocandi rationes certe non neglexerunt, tamen persaepe longe alia ratione uti facile perspicimus, cum leges metricas multum valere apertum sit. Quaesituri qua ratione Plautus verba temporalia in versibus collocaverit eius rei exempla ex Asinaria Milite glorioso Pseudolo exscribemus.

I. In senariis iambicis.

Studiis ab Appuhnio viro docto,[1]) qui praecipue ratione numerorum nisus est, coeptis satis elucet Plautum crebrius finem versus sententiae quoque finem esse voluisse quam aliquod verbum temporale in insequentem versum translatum.[2]) Ex cuiusvis autem aetatis libris constare scimus auctores verbum temporale in exitu enuntiati posuisse.[3]) Sane igitur in Plauti quoque senariis iambicis et septenariis trochaicis verbum temporale in fine versuum, qui creberrime finis quoque enuntiati est, invenimus. Pauca exempla afferre satis habeo.

Asin. 20. si quid med erga hodie falsum dixeris.

Crebro in fine versus complura verba temporalia coacervata sunt:

Asin. 784. neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat.

Omnino in Asinaria, quae 194 senarios iambicos habet, 91 versus inveniuntur, in quorum fine verbum temp. positum est. (In hoc numero est 783. sit propitius). In Mil. glor. 414 senariis verb. temp. in fine positum est in 174 versibus. Ex 531 senariis

[1]) Quaest. Plaut.

[2]) conf. Leonis librum qui inscr. Der sat. Vers pg. 14. adn.: .... dass ein kurzer Satz ein Vers ist; ein langer Satz muss sich versund kolenweise in seine Nebensätze zerlegen.

[3]) vide in Ziemeri libro qu. i. Junggrammatische Streifzüge im Gebiete der Syntax pg. 50.: Tradition war es, ... das Verbum ans Ende des Satzes zu stellen. Man bildete Sätze nach dem Muster eines gewissen Satztypus, der als Abbild der gehörten Sätze unserer Seele vorschwebt, z. B. Scipio Carthaginem delevit.

iambicis Pseudoli 250 eius generis collegi. (In hoc numero sunt: 3. fieri certior, 5. lubens, 84. ubi lego „domost", 432. sint mendacia, 481. sis memor, 523. lubens, 783. sum parvolus, 872. es veneficus, 800. eras coquos). Quaedam verba temporalia atque ea auxiliaria in fine versus collocare Plautum consuevisse saepius viri docti animadverterunt.[1]) Iam videamus cetera.

Legenti fabulas Plautinas elucet poetam notiones, quae ei graves videbantur esse, in insignibus enuntiati vel versus loco posuisse, quare mirum non est etiam verba temp. in talibus versus locis inveniri. Ac saepe ea in versus initio invenimus: Mil. glor. 4. praestringat oculorum aciem in acie hostibus. In Asinariae senariis 50 verba t. in versus initio exstant, in Mil. glor. 92. v. t. (quo in numero sunt: 68. nimiast, 69. molestae sunt, 485. certum est), in Pseud. 112. v. t. (quo in numero: 22. mos geretur, 80. miser sum, 90. certum est, 112. satin est, 466. itast, 467. parvam esse, 552. lubidost, 562. suspiciost, 889. molestus ne sis, 1037. victor sum).

Numerum haud ita exiguum versuum inveni, qui duobus verbis t. circumscripti sunt,[2]) cuius generis haec affero exempla:

Asin. 24. video necesse esse eloqui quidquid roges.
Pseud. 48. remittere illi? vide sis quam tu rem geras.

Omnino inveni in Asin. 28 exempla, in Milite glor. 41 (in quo numero sunt: 68. nimiast, 69. molestae sunt, 485. certum est), in Pseud. 51 exempla, (in quo numero sunt: 90. certumst, 467. parvam esse, 562. suspiciost, 889. molestus ne sis).

Norden l. c. in append. 3. demonstravit, quam varius esset usus poetarum Romanorum, quo utuntur in collocatione earum vocum, quae ab ipso „indifferente Wörter" appellantur. Plautum, cum non sit epicus poeta, vir doctus omisit, sed de illo nonnulla habemus in Leonis libro qui inscr.: Bemerkungen über plautinische Wortstellung und Wortgruppen. (Nachr. d. kgl. Ges. d. Wiss. Gött. 95). Hic dicit pg. 95.: In Sätzen wie „iam dudum meum ille pectus pungit aculeus, placet ille meus mihi mendicus" sind es nicht die unbetonten Wörter, die in

[1]) v. P. Schmitfranz, De verborum auxiliarium apud poetas comicos Romanos usu, Diss. Monast. 1910. pg. 37. adn.

[2]) conf. E. Norden in comm. ad Verg. l. VI. pg. 384: Durch diese Stellungen werden die Anfänge und Schlüsse der Verse markiert.

den Anfang, sondern die Wörter gleicher Kategorie, die zueinander streben. Imprimis autem adverbiorum collocationem liberam esse Leo his verbis exposuit: Eine sehr lose Verbindung geht das Adverbium ein mit dem Verbum, das es bestimmt, eine minder lose mit dem Nomen oder Adverbium, aber auch hier hat es die Freiheit, vor oder nach dem Worte zu stehen.

Verba minus gravia libere collocari atque inter se coniungi cum ex his virorum doctorum observationibus tum maxime elucet ex quaestionibus Wackernagelii,[1]) quibus demonstravit brevia verba atque ea enclitica saepissime in sententiae initio inveniri maxime autem altero enuntiati loco. Legenti igitur Plauti fabulas apparet omne genus verborum, quae a Nordeno „indifferente Wörter", a Leone „unbetonte Wörter" appellantur, pronomina coniunctiones adverbia coniuncta inter se reperiri eisque locis, qui sunt praestantissimi versus: initium dico versus atque finem, locum ante aut post caesuram, id quod ideo a poeta factum esse censeas, ne verba talia insignibus sententiae vocabulis quasi opprimerentur. Ob eam causam in magno numero versuum verba t. insignibus illis versus locis cesserunt atque locum post illa vocabula in versus initio aut ante illa in versus fine occupaverunt.

Sane ei versus minime offendunt, in quibus vox quaedam cum verbo t. coalescit atque una tantum vox auditur, cuius generis unum Asinariae locum affero: 37. dicere. Li. Ah.

Metricas leges in verbis collocandis apud poetas multum valere non miramur facileque perspicimus, si crebrius eadem vocabula in fine animadvertamus, propterea ea a poeta hoc loco posita esse, quod bene versum explerent. Iam afferam verba mensurae iambicae pyrrhichiacaeve. M i h i forma vb. t. a fine versus seiunxit his locis: As. 23. 111. (metuam mihi). Mil. gl. 61. 63. 516. 1109. Pseud. 6. 8. 63. 118. 128. 421. 499. 501. 547. 777. 876. 1095. T i b i forma vb. t. prope finem versus positum his locis sequitur: Asin. 47. 63. 97. (hic versus praeter hanc formam ex vb. t. constat). 930. Mil. gl. 60. 496.

[1]) Ueber ein Gesetz indog. Wortstellung. Ind. Forschungen. 1. pg. 406. e. qu. s.

567. 842. Pseud. 20. 78. 86. 91. 93. 112. 801. 855. 1014. 1080. Aeque s i b i forma invenitur: Mil. gl. 1099. Pseud. 401. 901. 1068. Pronominis possessivi formae ac vb. t. his locis in versus fine inter se excipiunt: Asin. 52. filius quod amet meus, 67. amari a meis, Mil. gl. 489. cum hospite advenit meo, 1291. demutandast mea, Pseud. 127. notisque edico meis, 417. credo meo, 769. corde conspicio meo, 779 faciam meis, 1026. comparem metuo meum, 1033. exspectat meum, 1036. ex pectore aufugiat meo, Asin. 113. animum ostendisti tuom, Mil. gl. 512. erum faciam tuom, 1306. oculo factumst tuo, Asin. 769. oculos adiciat suos, Mil. gl. 507. osculabatur suam, Pseud. 884. digitos praerodat suos. Compluribus his locis vb. t. cinctum est substantivo et pronomine. Alia pronomina supersunt: Mil. gl. 93. dum ductant eum, 532. non est ea, 854. vidi eam, 1105. Convenitne eam, Pseud. 396. ubi sunt ea.

Adverbia bisyllaba secludunt vb. t. a fine versus: f o r a s: Mil. gl. 81. exsurgat foras, 1124. vi extrudam foras, Pseud. 1032. egrediuntur foras, f o r i s: Mil. gl. 593. autemst foris, m a g i s: Mil. gl. 1285. verear magis, m i n u s: Mil. gl. 1308. utor minus, Pseud. 124. pervolgatumst minus, m o d o: Pseud. 131. Crura mavellem modo, 1008. ausculta modo, 1098. abduxit modo, p a l a m: Asin. 798. faciat palam, p r i u s: Mil. gl. 97. servivi prius, Pseud. 119. dico prius, 408. pacto praesensit prius, s i m u l: Pseud. 858. spectato simul, 863. astato simul, t a m e n: Mil. gl. 48. sic memini tamen, 866. accipito tamen, Pseud. 402. reperit tamen, 405. inveniam tamen, b e n e: Mil. gl. 570. di faciant bene, m a l e: Pseud. 1019. formido male, p r o b e: Mil. gl. 590. actum est probe. Mil. glor. 1101. 1103. „d o m u m“ in fine versus auditur, quod quasi adverbium est. Creticae mensurae haec verba vb. t. subsequuntur: c l a n - c u l u m: Mil. gl. 130. consignavi clanculum, h i c h e r i: Mil. gl. 73. consignavi hic heri, h a u m a l e: Pseud. 1078. actumst hau male, i l i c o: Pseud. 490. rescivisti ilico, 533. causaest ilico, 833. fervefaciunt ilico, i n t e r i m: Asin. 799. accedat interim, l o n g i u s: Pseud. 502. aberat longius, p o s t e a: Mil. gl. 849. ego promebam postea, Pseud. 455. ut aequomst; postea. Reliqua sunt nonnulla verba iambicae aut creticae mensurae: Pseud. 37. Servassint quidem, 850. venio ad furandum quidem, Mil.

gl. 824/5. suppromu's eho, Pseud. 81. est eheu, Asin. 43. dico non tuam, 86. sit quam tibi, 759. sint nisi tibi, 779. admoveat nisi tibi, Mil. gl. 1097. dixi equidem tibi. Restant Asin. 822. fecisse te, 827. opperiar domi, 921. 923. sq. 937. Mil. gl. 1301. „Palaestrio“ nomen proprium insigni versus loco positum est sicut Pseud. 496. sapio Callipho. Mil. gl. 827. „rogito scelus“ similiter percipienda sunt, nam vocativus „scelus“ personam nominat. Nonnullos versus propterea attuli, ut melius rem explicarem, nam alia de causa optime excusationem habent: Mil. 73. 130. 507. 879. alia.

Non solum in fine versus notiones minus graves inveniuntur, sed etiam in initio versus. Quid mirum verba temp. saepe talibus notionibus ab hoc loco seiuncta esse? Sane minime offendunt ei versus, in quibus, ut Plautus sermone cottidiano utens solet, forma vb. t. cum pronomine coniuncta est. Asin 52. equidem scio, 108. ego scio, Asin. 57. tune es, 106. tun redimes, Pseud. 508. tu vives, 1010. tun es, Asin. 808. haec sunt, Mil. gl. 100. is amabat, 155. ipse exit, 864. Quis misit, Pseud. 444. illic est, 774. qui amet, 1087. quid est. Forma pronominis cum forma cuiuslibet notionis generis definiti coniuncta est: Asin. 824. tu ergo fac, Mil. gl. 25. ubi tu es, 1104. qui tu scis, Pseud. 807. hoc ego fui, 823. si iste ibit, 828. qui ea culpes. Hic et illic pronomen alio casu ac nominativo exstat: Asin. 39. teque obsecro, 70. quam amabam, 105. quid vis, Mil. gl. 96. id volo, 580. me habent venalem, 819. quid sorbet, 826. quid vis, 1114. hoc age, 1125. istuc cave, 1298. quid vis, 1381. me quaerit, 1386. te volt. Pseud. 8. me subigit, 96. quid fles, 476. quid censes, 482. quid ais, 1080. quid ait, 1087. quid est, 480. quod scibo, 554. quod dixit, 570. si id facere.

Subiectum ut nostra lingua dicimus accusativi cum infinitivo qu. d. forma pronominis exstat: Asin. 811. me malim, Mil. gl. 544. me fuisse, 560. eam fieri, Pseud. 419. eum velle, 431. te velle, 483. meum amare. Aliae formae sunt: Asin. 82. quom me adiit, 783. tibi dicat, Pseud. 89. mihi emere. Mil. gl. 139. qui amantis, 863. quo te agis.

Coniunctiones, particulae, adverbia, talia inveniuntur: a t q u e: Asin. 109. atque audin, Mil. gl. 152., n e c, n e q u e:

Asin. 71. neque puduit. 763. 767. Mil. gl. 573., u t: Asin. 802. ut careat, Mil. gl. 82. Pseud. 23. ut opinor, 796., n e: Pseud. 1038. ne plora, 1027. 1029., c u m: Asin. 82. quom me adiit, 776. 780. Mil. gl. 860. Pseud. 1030., s i: Mil. gl. 833. si bibere, Pseud. 433. sed si, 435. 512. 570. si id, 863. si iste, 877. d u m: Mil. gl. 823. dum misit, q u i a: Pseud. 492. quia nolebam, q u i n: Pseud. 75. quin fles, n a m: Mil. gl. 134. nam et venit, s e d: Mil. gl. 549. sed meam esse, 1129. Pseud. 433. 479., i t a: Mil. gl. 66. itane aibant, 522. 574., i b i: Mil. gl. 853. ibi erat, u b i: Asin. 33. ubi flent, 37. 110. Mil. gl. 25., n u n c: Pseud. 779. nunc nescio, 905., n o n: Asin. 118. non esse, Mil. gl. 818., i a m: Pseud. 511. iam dico, 1064., p l u s: Mil. gl. 482. plus curat, p r i u s: Mil. gl. 119. prius perii, s a t i s: Mil. gl. 481. satin abiit. Restant Mil. gl. 821. eho an dormit, Pseud. 29. an obsecro hercle, 129/30. St tace. Multos locos eius generis omisi, ut Pseud. 61. „nisi quod mihi in te est“ et plurimos alios. Mox apparebit cur id fecerim.

Permagna enim copia vb. t. posita est eo loco, qui est ante aut post caesuram senarii iambici. Exemplis hoc apertum fiet. Asin. 31. num me illuc ducis |, 66. atque me id facere | studeo. Omnino in Asin. versibus, quos perscrutatus sum, 67 vb. t. loco ante caesuram exstant, 46 versibus post caesuram. (In hoc numero sunt: 57. es adiutor |, 58. | noster est). In Mil. gl. senariis iambicis 147 vb. t. loco ante caesuram exstant, 100 vb. t. loco post caesuram. (In hoc numero sunt: 46. | summast, 63. | pulcher est, 86. | nomen est, 513. | plenumst, 534. | eanest, 1094. | es auctor, 1132. | usust). In Pseud. senariis iambicis 217 vb. t. loco ante caesuram, 142 vb. t. loco post caesuram exstant. (In hoc numero sunt: 468. esse nequam |, 503. erat praesens |, 16. | quid sit, 37. | quantumst, 98. | spes sit, 433. | mos est, 444. | aequomst, 425. | dimidiumst, 535. | quantumst, 551. | certumst, 855. | meus es, 1001. | sumbulust, 1004. | disciplinast, 1009. | meus est, 1013. | dignumst 1049./50. | nequam homo es).

Accedunt ad haec exempla multa alia. Supra virorum doctorum testimoniis confirmavi verba minus gravia inter se coniuncta insignibus versus locis reperiri. Etiam ante aut post caesuram senariorum iambicorum tales notiones inveniuntur.

Lachmann in comm. ad Lucr.[1] l. VI. vs. 1067., qui est versus

Quae memorare queam inter se singlariter apta

dicit: nec versui sua deest caesura, quae est inter syllabas conliquescentes „queam | inter“. Cum Lucreti illo versu comparare mihi licet: Asin. 76. percupio | obsequi, 97. circumduce | aufer, 116. ego ero | argentarium. 125. cesso ire | ad, Mil. gl. 2. radii esse | olim, 495. ludificavisti | hospitam, 504. confregisti | imbricis, 558. esse | omnium, 595. absum | alter, 1105. esse | eius, 1393. ibo | intus. Pseud. 798. arbitrabare | isto, 1087. metuam | ab eo.

Cum hi versus recte sint facti, certe quoque ii, in quibus vox monosyllaba vel bisyllaba cum vb. t. tam arte conexa est, ut una vox audiatur:

Asin. 755. adde et |, Mil. gl. 10. fortunatum et |, 41. adhibere ut |, 79. enarrandum hoc |, 117. provecti in |, 138. paravi hic |, 553. despexe ad |, 562. cognosco at |, 816. vocabo heus |, 1102. adesse et |, Pseud. 6. rogandi et |, 72. scivi ut |, 76. exorare ut |, 444. esse ut |, 475. verberare atque | ego, 564. oblectem hanc |, 572. concenturio in |, 884. faciam ut |, 891. accubitum et |, 898. caverem a |, 902. abducturum a |, 1036. exulatum ex |, Asin. 41. quaeso hercle |. „Hercle“ reperitur item Pseud. 116. 129./30. 779. 1059. 1093. Mil. gl. 36. dico ehem |, 536. sitne istaec |, 1107. optinere ubi |, Pseud. 48. remittere illi |, 86. dare unam |, 106. futurum unde |, 414. concedam unde |, 807. fui hodie | („hodie“ tres syllabas habet).

Nonnullis locis vb. t. compluribus vocabulis a caesura versus seiunctum est aut notio una verbum sequens cum illo non conliquescit: Asin. 52. scio iam |, 55. ea res est sed eum |, 56. quid morbi est quia non |, 781. invocet sibi |, 824. fac ut illi |, Mil. gl. 106. occepit eius |, 828. periisti iam |, 852. erat paulum | („paulum“ arte cum „erat“ coniunctum est). Pseud. 8. me subigit ut te |, 425. proficisci ibi nunc |, 432. fors fuat an istaec |, 471. loquere quidvis |, 488. dic καὶ |, 511. dico ut a me |, 839. loqui me |, 1055 abducere a me |.

[1]) Lachmann in T. Lucr. Cari De rer. nat. libr. comm. ed. 1882. Confer praeterea Norden l. s. pg. 415. adn. 2.: letzterem folge ich auch in der Annahme, dass die Caesur durch Synaloephe nicht aufgehoben, sondern nur verdunkelt werde.

Restant nonnulli versus, ex quibus apertum fieri puto, quantopere Plautus versum caesura semiquinaria aut semiseptenaria incidere studuerit etsi interdum facere non potuit quin obscuraret syllaba ultima verbi cum proximo vocabulo synaloepha iuncta. Asin. 62. esse | importunum, 794. tussire | occepsit, Mil. gl. 484. cubantem | eam, 490. ludificatam | ingenuam, 554. fateare | ego, 1119. persuadere | amicos, 1135. videre | exoptabam, 1289. occidi | Achilles, Pseud. 872. faciam | eho.

Iam videamus, quotiens quibusque notionibus vb. t. a loco post caesuram seiunctum sit. Secundum usum sermonis cottidiani a Plauto poeta adhibiti hic quoque vb. t. cum pronomine personali coniunctum invenitur. Asin. 79. | ego mitto, Mil. gl. 142. | ego perfodi, 849. | ego promebam, Pseud. 394. | tu astas, 472. | tu suscenses, 862. | tu teneto, 1010. | ego sum.

Similiter poeta pronomine demonstrativo usus est: Mil. gl. 88. | illest, 133. | is non sprevit. Crebro alia pronomina, coniunctiones, similia loco qui est post caesuram inveniuntur. Haec pronomina personalia ac demonstrativa alio casu ac nominativo scripta contuli: Asin. 72. | me emere, 99. | me piscari, 772. | tibi propinet, 813. | te et dicas, Mil. gl. 5. | mihi consolari, 70. | ad. sese arcessi, 505. | te sectatu's simiam, 517. | tibi videtur, 557. | me vidisse, 575. | me vis, 582. | me occultabo, 817. | te vocat, 844. | me dixisse delices, 866. | me absente, Pseud. 6. | tis respondendi, 78. | me audes, 83. | me adiuvas, 101. | te probare postulas, 113. | tibi do, 119. | tibi neges, 125. | sibi neget, 454. | tibi para, 479. | te rogo, 480. | tibi responsum, [523a.] | te ausculto, 773. | mi invenire, 853. | te ire, 874./5. | me coquinare, 888. | mihi non credis, 1020. | me sit, 1057. | me mavellem. Pseud. 124. | hoc pervolgatumst, 502. | istuc aberat, 503. | huic erant. Pronomina relativa et interrogativa inveni: Mil. gl. 101. | qui est, Pseud. 460. | qui sit, 790. | qui vocant, Asin. 27. | quid sit, 39. | quae locutu's, 83. | quod det, 104. | quid ais, 108. | quid vis, 117. | quid opus fuerit, 746. | quem conscripsti, 781. | quam libebit, Mil. gl. 73. | quos consignavi, 542. | quid opsecras, 572. | quod scies, 1097. | quid agas, 1114. | quod das, 1123. | quod agis, 1293. | quae morast, 1387. | quid stas, Pseud. 16. | quid sit, 73. | quid ames, 413. | quas dem, 427. | quique auscultant, 440. | quod fecisti, 536. | quod dem, 565. | quod facturum, 845. | quidnam cenat, 1076. | quod sciam. Alia pronomina inveniuntur in versibus: Mil. gl. 1. | meo sit, [585.] | quidquid est, 813. | quantas moveo, Pseud. 37. | quantumst, 535. | quantumst, 552. | tuos spectare, 855. | meus es, 904. quicquam credat.

Complura pronomina conexa reperiuntur: Asin. 94. | cui ipsi nihil est, Mil. gl. 60. | quid eae dixerunt, 82. | ille qui auscultare volt, 84. | quam nos acturi sumus, 97. | eo cui servivi, 121. | me ad se deduxit, 827. | non te istuc rogito, 870. | quam ei mandavi, 1109. qui illas advexit, Pseud. 89. | qui me faciam, 115. | tibi quod promisi, 466. | tu me spernis, 475. | ego te soleo, 509. | tu a me sumes, 780. | quod illi qui possunt, 861. | id tu sinito sumere, 867. | qui te ad me adducam, 1099. | quid ego cesso.

Iam sequuntur coniunctiones et adverbia, a quibus plerumque enuntiatum orditur. Hic illic eae notiones cum aliis coniunctae sunt. Asin. [26.] | quin promam, 48. | non scientem, 51. | et quo evadat, 57. | nunc amanti, 59. | et a me initis, 90. | iam sit, 119. | nec quo ab caveas, 123. | tam paratum, 773. | quam tu sapiat, 777. | inde det, 827. | at ego te opperiar, Mil. gl. 9. | hic est, 54. quia erant, 92. | quaqua incedit, 141. | nisi eapse inferret pedem, 143. | clam esset, 507. | quom osculabatur, 529./30. | non sit, 531. | quid nunc commerui, 532. | etsi east, 552. | quam haec est, 556. | cur negem, 574. | sed satine oratu's, 588. | ne id quod vidit, 590. | usque adhuc actum est, 818. | quid iam sorbet, 820. | quom stertas, 829. | non prompsi, 830. | nam ille me vetuit, 838. | si tibi esset, 839./40. non licet, 841. | antehac responde, 869. | dum ab se huc transiret, 1094. | ut faciam, 1297. | hic est, 1388. | iam impedivit, Pseud. 7. | non potest, 32. | non adest, 34. | nunc est, 55. | hic reliquit, 62. | cum ea fabularier, 71. | aut tibist, 85. | sed potes, 87. | si me opponam, 103. | ne pave, 106. | unde dicam, 109. | mea si commovi, 422. | iam illi fetet, 439. | quam ipsus fuerit, 442. | si patrissat, 478. | ne quid noceat, 523. | nam ted ausculto, 533. | numquid causaest, 553. | non dare, 554. | quam id non fiat, 561. | iam hic ero, 573. | non ero, 768. | si addunt, 793. | quam hunc quem duco, 819. | ubi

coquont, 825. | non edunt, 858. | eo tu spectato, 876. | ne quid surripias, 899. | nam eum circum ire, 1016. | quin sequere, 1021. | nunc mi obvertat, 1038. | ut res sit, 1041. | qui te nunc flentem, 1043. | post faxo, 1053. | atque abduxit, 1072. | hodie ut promisit, 1078. | hoc quidem actumst, 1102. | quo eat.

Pauci loci restant: Asin. 103. | hodie ut habeat, 756. | intro mittat, 761. | peregre allatam, 762. | ulla sit, 800. | male dicat, 823. | pol qui dixti, Mil. gl. 3. | contra conserta, 19. | nihil est, 483. | intus est, 815. | bene sunt, Pseud. 45. | nusquam invenio, 60. | prope adest, 476. | merito esse, 775. | hodie est, 890. | intro abi, 894. | primum caveam, 1032. | tarde egrediuntur. Plerumque adverbium cum verbo t. artissime coniunctum erat.

Hic quoque interdum caesura semiquinaria aut semiseptenaria obscurata est, cum ultima syllaba notionis ante caesuram positae cum vocali, a qua vb. t. orditur, coalescat. Commemoravi iam supra Asin. 62. Mil. gl. 1135. Praeter eos affero: Asin. 25. obstinate | adgressus, 785. lucerna | exstincta, 814. scortum | amanti, Mil. gl. 24. epityrum | estur, 137. consilioque | adhortatur, Pseud. 29. hercle | habent.

Rectam caesuram habent: Mil. gl. 499. latrocinamini | arbitramini, 1117. tute | adeas.

Veniamus nunc ad ea exempla, quae quamquam legibus supra inventis repugnare videntur, tamen excusationem habent, si ea interpretari conamur.

Asin. 35. ubi vivos homines | mortui incursant boves.

vb. t. „incursant“ notione „mortui“, quae, cum notioni „vivos“ contraria sit, insignem versus locum occupavit, a caesura seiunctum est. Vb. t. cinctum est adiectivo et substantivo, id quod saepius invenitur.

36. Modo pol percepi, Libane, quid istuc sit loci

post caesuram nomen proprium exstat, quae Plautum in insignibus versus locis collocare consuevisse saepius viri docti animadverterunt.

Ad 54. estne hoc ut dico, Libane? Lib. Rectam instas viam.

conf. vs. 35. 36. 55. morbus invasit gravis, 776. Mil. gl. 75. 547. 861. Pseud. 492. 869. 897. 1052. Asin. 82. „ut pudentem gnatum aequomst patrem“ duo accusativi disiuncti sunt, quo

sensus clarior fiat. Ad 752. „lenae dedit dono“ vide quae Leo in editione Plauti dicit: „dedit dono“ sub uno accentu est. 805. „Venerine eas det an viro“ nomen deae insignem locum obtinet, 809. „sequere intro sequor“ verba t. inter se excipiunt, Mil. gl. 8. dubius versus est, certe „fratrem facere“ aut notio, quae pro vocabulo „fratrem“ desideratur et „facere“ arte conexa sunt, 33. „venter creat omnis hasce aerumnas“ notio „venter“ in initio versus posita est, quod Artotrogus parasitus fastidio militis gloriosi impulsus eam rem nominat, ex qua omnia illa mala orta sunt. Mil. 117. „ubi sumus provecti in altum fit quod di volunt“ fortasse eo quod vb. t. loco usitato non invenitur, exspectatio audientium fabulam augetur, quae maior fit eo quod communis locus sequitur. 151. „suam et hinc et illinc mulier feret imaginem“ „hinc et illinc“ atque „mulier“ conexa sunt, nam una mulier hinc et illinc exibit, ut miles cum familiaribus credat non unam esse mulierem sed duas. 491. „| recta habet rectam viam“ figuratus est versus. 527. „si hic non videbit mulierem — aperitur foris“ momento summi discriminis res bene evenire videtur. 548. „et tuae fecisse me hospitae aio iniuriam“ notiones „aio iniuriam“ arte conexa videntur esse. 571. „| di ament“, 833. „| di me perdant“ nomen dei insignem versus locum obtinet, 578. „a foro adveniat domum“ vb. t. circumscriptum est vocabulis, quibus initium ac finis viae significantur, 584. „merui mali“ vb. circumscriptum est vocibus „impio mali“. Cum versu 831. „| octo exprompsi in urceum“ comparemus insequentem versum „| exbibit in prandium“, 850. „hoc illi crebro capite sistebant cadi“ observa sis syllabas „ca-ca“, quibus vb. t. circumscriptum est; cum eo versu compara sis insequentem „| valide cassabant cadi“ et 856. „cassabant cadi“, 1106. „| fortis visast“ voces arte cohaerent,

1125./6. per gratiam
bonam abeat abste.

ad hunc versum conf. Appuhn pg. 68., Prescott pg. 227., Wiebe pg. 35. Figurati sunt versus 1389. „| sunt in statu stat senex“ ac 1390. „formast ferox“.

In Pseud. figuratum sermonem habent:

75. quin fles? Ps. Pumiceos oculos habeo: non queo
86. drachumam dare unam mihi, quam cras reddam tibi?

425. proficisci, ibi nunc oppido opsaeptast via
784. atque edepol, ut nunc male eum metuo miser
860. manum si protollet | pariter proferto manum
889. Molestus ne sis, nimium tinnis; non taces?

Praeterea observa sis vb. t. „tinnis — taces" contraria esse. Ad versum

436. Vetus nolo faciat. Cal. At enim nequiquam nevis

conf. Schmitfranz pg. 42.: In omnibus (talibus) exemplis indicativus coniunctivum antecedit. in plus quam dimidia parte indicativus et coniunctivus quam proxime inter se iuncti sunt.

458. Statum vide hominis, Callipho, quam basilicum

cum hoc versu comparemus antecedentem, in quo Pseudolus: „Statur', inquit, „hic ad hunc modum". Simo a vocabulo eiusdem stirpis ac „statur" orditur.

496. „sapio Callipho" nomen proprium in fine positum est. 506. „edicam omnibus" vox creticae mensurae in versus exitu posita est. 827. „qui prorogare vitam possis hominibus" „prorogare vitam" arte inter se cohaerent.

II. In septenariis trochaicis.

Aeque atque in senariis iambicis in septenariis trochaicis verbum in versus exitu esse solet.

In Asinaria, cuius 382 versus perquisivi, (omisi eos versus, qui non sunt κατὰ στίχον,) in 165 versibus verbum in fine versus invenitur. (In his exemplis sunt 284. sint obnoxii, 525. pro datis). Mil. gl. 724 versus perquisivi, qui 306 exempla eius generis habent. (In his sunt 193. si quast mala, 313. est audạcior, 648. sum Animulas, 746. essem obnoxius, 1323. eram ferocior). In Pseudolo 447 septenarios trochaicos perquirenti mihi 186 versus occurrerunt, quorum in fine verbum invenitur. Praecipue in fine septenariorum trochaicorum similiter atque in senariorum iambicorum multis locis complura verba t. coacervata sunt hic et illic adnominatione arte conexa.

Etiam in septenariorum trochaicorum initio verbum t. invenitur, cuius rei ex Asinaria 79 exempla exscripsi, in quibus sunt 203. vetus est, 221. esca est, 899. miser ecastor es, 912. tempus est, 922. nullus sum. In Mil. gl. septenariis trochaicis repperi 148 eius generis exempla, in quo numero sunt: 277. volup est, 303. certum est, 321. mirumst, 342. dignun es,

344. consilium est, 438. ἄδικος es, 451. domicilium est, 663. opusne erit, 678. liberae sunt, 694. flagitiumst, 947. volup est, 989. bellulast. Pseudoli septenarii trochaici habent 73 exempla, in quibus verbum in initio versus invenitur, quibus in exemplis sunt: 749. probus homo est, 763. confidentia est, 954. illicinest, 974. salvos sum, 990. nomen est, 1178. atque 1179. scilicet, 1237. certumst. Binis verbis circumscripti sunt septenarii trochaici in Asinaria 26, in Milite glorioso 49, in Pseudolo 27.

Supra, cum de verborum in senariis iambicis collocatione diceremus, iam exposuimus in initio versuum atque exitu vocabula minus gravia, quae sunt pronomina, coniunctiones, adverbia, similia coniuncta inter se inveniri, qua re verba his locis cessisse atque in locum ante aut post illa vocabula quasi se recepisse.

Verbum t. coalescit cum insequente voce ita ut una tantum vox audiatur: Asin. 219./20. auceps sum ego, 537. mone em, Mil. gl. 263. vidisse eam.

Cum hi versus minime offendunt tum ei, in quibus verbum pronomen personale eiusdem personae subsequitur: Mil. gl. 1369. esse te, Pseud. 362. perge tu, 714. molestos esse nos, 977. scivin ego.

Vocabulorum, quae saepissime in versus fine inveniuntur, has formas affero atque eas mensurae iambicae pyrrhichiacaeve. M i h i forma verbum subsequitur: Asin. 152. 196. 208. 244. 247. 315. 329. 352. 516. Mil. gl. 333. 440. 614. 713. 745. 956. 991. 1325. 1343. 1410. 1428. Pseud. 276. 372. 637. 640. 663. 986. 1138. T i b i forma invenitur: Asin. 306. 517. 520. 528. 930. Mil. gl. 296. 327. 601. 606. 666. 669. 684. 740. 749. 953. 1005. 1211. 1212. 1354. 1425. Pseud. 318. 336. 633. 701. [1137.] 1139. 1146. 1147. 1226. S i b i inveni: Asin. 288. Mil. gl. 697. 982. Pronominis possessivi formae cum verbo in fine versus sunt: Asin. 331. aures exspectant meae, Mil. gl. 270. 635. 1363. Pseud. 359., tuus: Asin. 138. 191. 207. 255. 538. 926. Mil. gl. 811. 963. 1170., suus: Asin. 272. 541. Mil. gl. 209. 466. 995. 1145. Plautum verba temp. substantivo atque adiectivo cingere consuesse iam supra vidimus atque hic iterum videmus.

Alia quoque pronomina locum post verbum in versus fine occupant: Mil. gl. 459. facies ea, 975. accersuntque eam.

Haec adverbia bisyllaba verbum in versus fine sequuntur: diu: As. 176. Mil. 1201., foras: Mil. 271. 308. 977. [987.] 1215. Pseud. 606., foris: As. 319. Mil. 347. 637., magis: As. 233. Mil. 660. 1367. Pseud. 324., modo: As. 145. 274. 935. Pseud. 283. 717. 719. 976. 997., nimis: Mil. 1347., parum: As. 177, prius: As. 213. Pseud. 331., quoque: Pseud. 353. 367., simul: Mil. 1318. Pseud. 1180., tamen: As. 195. Mil. 306. 756. 1341., bene: As. 945. Pseud. 272., male: 938. Mil. 311. Pseud. 682., probe: Asin. 342.

Voces trisyllabae verbum a versus fine secernunt: amplius: As. 203., clanculum: Mil. 985., ilico: Mil. 1432., indidem: Mil. 234., interim: Pseud. 686., ocius: As. 275., postea: Asin. 357., uspiam: Mil. 996., vesperi: Mil. 439., fortiter: As. 323., maxume: Mil. 428., optume: Pseud. 361., strenue: Mil. 458.

Formae „domi domum domo", quae quasi adverbia sunt, in versus fine inveniuntur post verbum: As. 161. 921. 923. 924. 925. 937. Mil. 158. 182. 259. 341. 346. 686. 790.

Praeter eos versus, quos attuli, pauci reliqui sunt, in quibus complures voces coniunctae sunt, aut interiectiones sunt: Mil. 435. eho, Pseud. 702. io, 1185. eho, Mil. 457. tam east quam potis, 668. aequest atque ego, 776. credo ego istuc idem, 809. rogo ego te tamen, 1006. amem hercle hanc quidem, 1162. scin quem ad modum, 1173. satinest si tibi, 1327. attinuere hic tuom, Pseud. 349. occidam atque me, 758. abite ergo ocius.

Eadem ratione in initio septenariorum trochaicorum notionibus minus gravibus verba ab initio versuum seiuncta sunt atque in locum post illa vocabula cesserunt.

Verbum temp. cum pronomine personali coniunctum est his locis: As. 378. ego abeo, Mil. 478. ego abeo, 812. ego eo, Pseud. 391. ego scio, 658. ego devortor, 734. ego dabo, As. 179. is habet, 181. is dare volt, 379. ille est, Mil. 190. qui arguat, 261. qui fuerit, 299. quid fuat, 317. quid negotist, 474. istaec sit, 970. ea demoritur, 973. quae cupit, 995. qui aucupet, 998. quae amat, 1192. ille iubebit, 1205. quae voluit, Pseud. 379. haec meast sententia, 707. illic homost, 721. hi sciunt, 977. quid est.

Forma pronominis coniuncta est cum formis earum vocum, quas supra coacervari dixi (scilicet saepius complura pronomina

coniuncta sunt). In his vocibus „ego' est: As. 139. ego pol te redigam, 140. ego edepol te faciam, 148. 290. 355. 356. 513. 515. 909. Mil. 195. 217. 231. 246. 288. 305. 312. 331. 352. 427. 434. 629. 780. 810. 1191. 1202. Pseud. 318. 339. 347. 626. 631. 652. 978. 1171. 1238. Inter voces dictas est „tu": As. 177. non tu scis, 215. 237. 367. 505. 868. Mil. 337. 661. 782. 974. 1007. 1150. 1322. Pseud. 350. 607. 610. 634. 713. 1143. 1147. 1213. Alia pronomina nominativi casus reperiuntur: As. 143. atque ea si erant, 182. neque ille scit, 295. 317. 323. 338. 350. 527. 533. 864. 888. 944. Mil. 173. 187. 199. 208. 227. 262. 276. 282. 298. 307. 311. 341. 346. 350. 448. 465. 475. 615. 638. 655. 703. 708. 714. 728. 729. 732. 735. 737. 748. 753. 765. 770. 811. 959. 969. 994. 1003. 1176. 1210. 1211. 1346. 1348. 1431. 1435. Pseud. 281. 284. 297. 374. 376. 377. 386. 605. 608. 614. 636. 645. 648. 653. 671. 712. 976. 1139. 1141. 1193. Alii pronominum casus audiuntur: As. 150. quem adeat, 371. 521. 524. 541. 883. 916. Mil. 170. 172. 196. 198. 244. 250. 253. 426. 429. 459. 623. 627. 769. 774. 785. 800. 1000. 1139. 1180. 1200. 1314. Pseud. 273. 279. 351. 662. 765. 992. 1151. 1160. 1174. 1184. 1185. 1192. 1227. 1242. Pronomen aliquod subiectum est accusativi cum infinitivo qu. d.: As. 334./5. nostrum vendere atriensem, 529. Mil. 178. 793. Pseud. 682.

Ad obliquos quoque casus accedunt aliae voces, ut Asin. 138. male quod potero, 141. 162. 176. 193. 195. 196. 199. 209. 226. 271. 354. 514. 522. 528. 531. 862. 901. Mil. 179. 216. 295. 325. 336. 338. 446. 456. 620. 621. 633. 671. 686. 687. [708.] 717. 733. 740. 747. 749. 766. 786. 790. 791. 795. 799. 971. 1146. 1183. 1323. 1325. 1343. 1355. 1365. 1417. Pseud. 286. 308. 321. 322. 348. 373. 375. 609. 639. 660. 681. 722. 728. 740. 750. 751. 756. 966. 1144. 1166. 1170. 1222. 1229. 1239.

Iam affero coniunctiones adverbia particulas, quae ante verbum temp. in versus initio collocata sunt. Saepius complura eius generis vocabula coacervata sunt: q u e Mil. 621. mihique amanti, 671. 737. 786. 791., e t Mil. 717. et tibi sunt, 1323. Ps. 1201, a t q u e As. 143. atque ea si erant, Mil. 288. 1187. Ps. 291. 994. 1144., n e q u e As. 174. 182. neque ille scit, 214. 510. 514. 944. Mil. 236. 336. 452. 641. 653., n a m: As. 174.

nam neque fictum, Mil. 262. 295. 329. 350. 629. 638. 753. 994. 1322. 1326. Ps. 284. 614. 648. 671. 976. 995. 1171., nempe: Mil. 337. nempe tu istic, 1163., enim: Mil. 810. ego enim dicam, 1140., quia: As. 189. nunc quia nihil habes, Mil. 1140. 1323. Ps. 622., quando: Mil. 705. quando habeo, 772., sed: As. 290. sed quid ego hic, Mil. 168. 352. 607. 612. 681. 762. 780. 790. 969. Ps. 276. 636. 653. 663. 687. 751. 758. 951. 993., autem: Mil. 209. 1003., aut: Ps. 620. aut vidisti, at: As. 232. at ego est, 858. 923. Mil. 703. 794. Ps. 283. 645., etiam: As. 875. 923. at etiam cubat, Mil. 811. 1339. Ps. 735., si: As. 143. 164. 188. si ecastor nunc, 193. 195. 237. 242. 519. 946. Mil. 195. 266. 268. 298. 307. 341. 454. 655. 718. 733. 747. 997. 1186. 1214. 1337. 1365. 1417. 1426. Ps. 272. 286. 291. 339. 375. 640. 713. 740. 1236., nisi: Mil. 216. nisi quidem hic, 446. 638. 1188. Ps. 373. 1213., ni: Mil. 156. ni hercle, Ps. 652., etsi: Mil. 1210. etsi istuc mi, ut: Mil. 187. 257. ut teneat, 295. 476. 661. 796. 1146. 1163. 1186. 1187. Ps. 639. 987., ne: As. 377. Mil. 248. 283. 689. 799. 1331. Pseud. 322., quom: As. 168. modo quom accepisti, Mil. 1176. 1325. 1343. 1358., cum: As. 901. quid cum adest, 927. Ps. 1147., quoniam: As. 350. quoniam ille, quin: Asin. 237. 519. 868. Mil. 974. 1398. Ps. 350. 664. 713. 1147., dum: As. 531. Mil. 641., quidem: As. 176. 271. Mil. 216. 475. 633., quamvis: Mil. 1322., an: As. 505. [508.] 528. Mil. 346. 448. 976. Ps. 1161., ne: Ps. 308. 380. 607. 610. 1143., numquis: Mil. 994. Ps. 665. 728., ecquis: Mil. 782. Ps. 746. 1139., qui: Mil. 768., quidum: Ps. 1161., ubi: As. 196. ubi illaec quae dedi, 209. 338. 506. 520. Mil. 686. 1183. 1312. 1407. Ps. 664. 681. 750. 1136., unde: Asin. 258. unde sumam, Mil. 958., hic: As. 290. Mil. 187. 199. 216. 227. 276. 333. 442. 994. Pseud. 331., 393., hinc: As. 533. Mil. 1422., dehinc: As. 858., huc: Mil. 454. 1184./5., istic: Mil. 337., intus: Ps. 640., intro: As. 543. Mil. 460., prope: Mil. 994., domi: Mil. 191. 194. 341. 997., quotiens: As. 522., continuo: Mil. 719./20., diu: As. 251., dudum: Ps. 1201., extemplo: Mil. 1171., hodie: Mil. 214. Ps. 373., ilico: Ps. 311., iam: As. 251. 360. 926. Mil. 295. 472. 1197. 1345. Pseud. 331. 380. 393. 676. 687. 1157., iamdudum: Mil. 1398.,

mox: Ps. 1166., nunc: Asin. 188. 189. 214. 245. 367. 858. 946. Mil. 171. 305. 341. 671. 738. 749. 766. 811. 971. 1339. Ps. 321. 645. 660. 722. 756. 760. 764. 1229. 1237. 1345., nunquam: Mil. 214. 687. 1202. Ps. 621., posthac: Mil. 1423., postremo: As. 238., prius: As. 141., saepe: As. 218., tum: Mil. 325. 668. 1003., usque: As. 210. 211., adeo: Ps. 291., admodum: Ps. 1153., certo: Mil. 273., ceterum: As. 199., cur: Mil. 682. 1402. Ps. 348., ecce: Mil. 203. 209. 456., ergo: As. 315. Mil. 805. 1420., haud: Mil. 629. Ps. 1222., igitur: As. 252. Mil. 436. 765. Ps. 756., immo: Ps. 324. 624./5., ita: As. 505. 870. Mil. 268. 616. 780. 791. 1170. Ps. 611. 657. 680., item: Mil. 643., iterum: Mil. 298., magis: As. 162. Mil. 473. 1337. 1437. Ps. 641., modo: As. 168. 170. 927. Mil. 174., nimio: Ps. 281., nimis: Mil. 468. Ps. 299., non: As. 154. 177. 190. 195. 215. 286. 289. 354. 536. 886. 907. 908. 931. 935. Mil. 251. 262. 268. 312. 445. 448. 682. 803. 1140. 1150. 1335. 1372. 1417. 1422. Ps. 268. 282. 286. 289. 306. 326. 341. 342. 375. 612. 657. 1204., palam: Mil. 307. 475., profecto: Mil. 290., quam: Mil. 476. 1355. Ps. 1166., quasi: Ps. 609. 634., quemadmodum: Mil. 201., quoque: Mil. 745., saltem: Mil. 1211., sat: Mil. 1175. 1189. Ps. 687., sic: Mil. 353., sicut: 374., tam: Mil. 1202., tamen: Mil. 748. 1355., tuto: Mil. 225., ultro: As. 526., ut: As. 238. 239. Mil. 467. 1142. Ps. 950., utut: Ps. 310., vel: Ps. 272., verum: As. 515. 862. Mil. 1209. 1372., vix: Mil. 1368., aeque: Mil. 465., aliter: Mil. 1422., bene: As. 222. Mil. 232. 1169. 1341. 1373. Ps. 681. 714. 732. 1238., lepide: Mil. 1142. 1159., male: As. 138. 173. 937., plus: Mil. 651., pulcherrime: Mil. 1312., recte: As. 510., stulte: Mil. 1376., ab: Mil. 1343., ad: As. 518. Mil. 668. Ps. 966, apud: Mil. 708., ex: Ps. 347., in: Mil. 1434. Ps. 361. 1144., inter: Mil. 714., ecastor, hercle, pol: As. 139. 140. 188. 514. 519. 533. 864. 877. 886. 888. 936. Mil. 156. 273. 311. 473. 616. 633. 718. Ps. 342. 1222., eho: Mil. 976. 1358., em: As. 323., heia: Ps. 235. 1136. (heus), 1164. (heus), 1337. (heus), vae: Ps. 631.

In septenariis quoque trochaicis vb. t. persaepe ante aut post diaeresin collocata sunt. Haec exempla afferre mihi libet:

Asin. 138. male quod potero facere faciam |, Mil. 159. ita per impluvium intro spectant |, Pseud. 764. nunc ibo ad forum atque onerabo |.

Omnino in Asinariae versibus, quos perscrutatus sum, 159 vb. t. loco ante, 103 loco post diaeresin sunt. (In hoc numero sunt: 178. itidemst amator |, 187. esse vera |, 249. meliust |, 318. coniurati |, 511. es amatrix |, 913. mandata |, 146. | nihil est, 219./20. | areast, 525. | dicta, 543. | nihil est, 899. | dignus est, 911. | mortuost, 919. | tantum est, 933. | nil sit, 936. | dignus es).

In Militis gloriosi septenariis trochaicis 271 vb. t. ante diaeresin, 188 post diaeresin sunt. (Inhoc numero sunt: 188. visa |, 377. esse erilem |, 441. estnegoti |, 680. dotatam |, 785. sit quaestuosa |, 1215. sis cupidus |, 1397. sit acutus |, 252. | operae non est, 292. | meliust, 301. | proxumost, 351. | meliust, 436. | nomen est, 674. | quaestus est, 675. | sumptumst, 684. | potis es, 967. | formast, 1424. | mitis sum).

In Pseudoli septenariis trochaicis 168 vb. t. ante, 116 post diaeresin sunt. (In his sunt: 369. dicta |, 390. sunt amici |, 621. vidi ante |, 700. est mortalis |, 976. sunt cognomenta |, 996. est imperiosus |, 1161. sit haec res |, 1252. centuriatas |, 356. | gnatus, 357. atque | onera, 693. | nescio quem, 747. | anguillast, 968. | nulla est, 1144. | leno est, 1169. | servus es, 1216. | mira sunt, 1235. certum est).

His locis verbum temp. cum voce monosyllaba vel bisyllaba tam arte conexum est, ut una vox audiatur: As. 146. suscenseam ipsi |, 171. egisti et |, 212. nolebam ac |, 213. conari id |, 243. invenio ego |, 246. exobsecrabo ut |, 247. adire atque |, 267. requiram aut |, 313. inveni ego |, 326. rogita ut |, 356. adducturum et |, 359. intervortam et |, 367. narra haec |, 376. dico hercle |, 853. sciente id |, 876. faxo ipsum |, 903. osculando ego |, 915. adducam ad |, 916. amanti ut |, Mil. 178. conclamo heus |, 199. osculantem id |, 217. maduisti heus |, 225. pervenire hanc |, 231. dico id |, 243. vidisse hic |, 245. amplexantem atque |, 273. vidisse hic |, 280. insulturam et |, 320. osculantem atque |, 329. transire ea |, 338. osculantem hic |, 341. facio ut |, 442. indaudivi eam |, 475. esse ut |, 621. opitulatum atque |, 633. esse ut |, 650. educatum in |, 651. praedicabo ex |, 661. faciam esse |, 753. accubuere ubi |, 771. dari istunc |, 778. sectari in |, 796. esse uxorem et |, 801. conciliarem ille |, 809. meminisse id |, 949. conduxi hinc |, 964./5. nupta et |, 979. amovere a |, 1151. esse ab |, 1174. expolitum ut |, 1203. feci ut |, 1204. impetravi ut |, 1214. impetratum at |, 1311. quaeso hodie |, 1322. facere ut |, 1328. aspicio hunc |, 1377. sensi hinc |, 1416. abeo hinc |, 1425. solvite istunc |, Ps. 266. teneam ut |, 300. pereo et |, 321. opperiare hos |, 324. faciam ex |, 384. admoenire ut |, 392. exquire illinc |, 621. vidi ante |, 652. dato istunc |, 655. soleo ex |, 706. obsignato ad |, 989. novi heus |, 1158. video hunc |, 1166. do equidem |, 1176. posse eum |.

Complures voces synaloepha arte cum verbo coniuncta sunt: As. 295. ibo advorsum atque |, Mil. 169. estne advorsum hic |, 200. abscessero apste huc |, 255. intro abi ergo et |, 256. transire atque haec ei |, 345. scire utrum egon |, 461. osculantem eum ego |, 462. esse immo edepol |, 1176. factum ubi intro haec |, Ps. 604. pultabo atque intus |, 734. quaere aliunde o |, 752. fieri ego illum |, 983. accipe a me hanc |.

Encliticum ad verbum accedit: Mil. 267. pugnandoque |, 721. cecidissetve |, 770. habeatque |.

Complures voces aut una vox cum verbo non conliquescens inter verbum ac diaeresin exstant: As. 141. amans ego |, 144. est melius me cuius |, 149. viden ut ne id quidem |, 152. volam quoniam |, 154. auferre hinc a me |, 160. merita es de me et |, 161. meritus sum non |, 165. ductato si semper |, 167. dandi nam nunquam |, 232. abis quod |, 300. nescire at pol ego |, 350. elocutus haec sic |, 366. dixit sese |, 380. narrare quin tuom |, 514. accuso neque id me |, 534. summust apud me |, 538. contemples si quidem |, 860. essent nunquam |, 884. audio egon ut |, 891. age tu interibi ab |, 900. amas egon illam |, 907. durare si non |, 912. subducere hinc me |, 933. pudet pol si aliud |, 936. cenabis hodie ut |, 941. sequere hac me |. Similiter in Milite glorioso: 163. 173. 177. 182. 210. 213. 219. 244. 266. 277. 278. 298. 328. 330. 350. 426. 433. 444. 449. 455. 616. 624. 644. 648. 665. 677. 687. 700. 701. 715. 739. 773. 790. 798. 803. 811. 951. 988. 993. 995. 1138. 1149. 1165. 1167. 1168. 1170. 1183. 1192. 1194.

1195. 1315. 1323. 1336. 1345. a. 1347. 1362. 1366. 1371. 1419. 1426. 1427.

In Pseudolo: 267. 270. 271. 276. 281. 282. 283. 305. 314. 315. 328. 340. 342. 350. 362. 378. 381. 388. 612. 616. 619. 622. 631. 641. 643. 654. 679. 698. 708. 742. 757. 765. 958. 962. 963. 990. 1146. 1188. 1217. 1227. 1230. 1238.

Verbum a loco post diaeresin seiunctum est his vocibus: Ante vb. t. post diaeresin est pronomen personale, quocum verbum secundum usum Plautinum coniunctum est: As. 518. | tute habeas, 904., Mil. 282. | tute scias, Ps. 971. | tu novisti, 1199.

Pronomina personalia alio casu ac nominativo scripta aliaque pronomina inveniuntur: As. 202. | nostrae credunt, 208. | illam amare, 225. | eum licet, 226. | qui fuisti, 237. | qui sunt, 242. | quod des, 259. | quovis admittunt, 291. | quae loquens, 297. | quid agis, 312. | nobis inventa, 316. | sibi esse, 332. | haec scias, 336. | quod daretur, 343. | me infit, 363. | nos futuros, 527. | qui deludunt, 535. | me iubes, 536. | quoia amentur, 875. | suom corrumpit, 883. | huius corruptum, 918. | hac frui, 926. | me esse. Mil. 162. 169. 178. 179. 183. 205. 214. 217. 231. 237. 277. 341. 352. 426. 430. 447. 473. 474. 480. 672. 705. 771. 784. 785. 794. 976. 988. 993. 1162. 1175. 1321. 1356. 1403. 1410. 1414. Ps. 315. 339. 348. 376. 607. 615. 619. 638. 639. 642. 647. 692. 696. 706. 709. 749. 765. 961. 987. 990. 995. 997. 1154. 1184. 1192. 1211. 1212. 1217. 1224.

Complura pronomina coniuncta inveniuntur: As. 168. | aliquid quod poscas, 171. | tibi ego misi, 177. | eadem sibi parcet, 189 | te eam ductare, 300. | qui ted expendi, 515. | cum illo quem amo, Mil. 168. 171. 232. 233. 315. 331. 345. 617. 621. 629. 710. 804. 981. 997. 1147. 1160. 1341. 1365. Ps. 279. 305. 314. 349. 624./5. 631. 682. 691. 703. 726. 763. 965. 985.

Coniunctiones et adverbia, ad quae hic illic pronomina accedunt, reperiuntur: As. 167. | tu quidem expleri, 169. | nunquamne expleri, 170. | iam ut remittam, 173. | si facio, 174. | neque scriptum, 185. | se ut quom videat, 190. | ad te ut mittam, 224. | haud est, 228. | si eris nactus, 231. | prius attulerit, 240. | facile patiar, 270. | pariter scortari, 289. | quando qui sudat, 301. | quando pendes, 310. | verum commixtum, 313. | ut nos dicamur, 350. | quid tum ausculta, 355. | non morabor, 367. | ut nos acturi sumus, 371. | si tibi percussero, 373. | ne me attingas, 510. | neque quae delinquont, 517. | et tuam trado, 526. | ultro ad te accersi, 528. | si quis promittat, 531. | ne nos moriamur, 861. | semper sum, 879. | si videas, 940. | prius quam abis. Mil. 159. 181. 195. 206. 207. 255. 283. 286. 287. 291. 293. 302. 306. 314. 325. 328. 332. 339. 344. 347. 446. 453. 455. 462. 480. 598. 622. 646. 653. 659. 670. 673. 678. 685. 686. 695. 702. 706. 717. 719./20. 758. 764. 790. 799. 805. 812. 950. 960. 974. 987. 992. 994. 1008. 1137. 1143. 1158. 1187. 1198. 1207. 1329. 1331. 1338. 1340. 1342. 1352. 1361. 1422. 1428. 1429. Ps. 272. 273. 278. 282. 295. 306. 307. 310. 313. 320. 325. 331. 337. 353. 368. 377. 379. 384. 386. 622. 640. 649. 672. 696. a. 710. 723. 727. 730. 733. 737. 756. 758. 981. 1139. 1148. 1152. 1156. 1166. 1183. 1187. 1220. 1221. 1227. 1231.

Eis quae supra exposuimus, multa exempla repugnare videntur, sed ea non offendere facile intellegetur. Nam crebro complura verba in versus initio coacervata sunt: As. 235. dabo uti scire possis, 286. non placet metuo in commune, 296. iubeo te salvere, Mil. 459. Quid faciam? P. Ecfer mihi machaeram huc |, 463. dissimulabat abi, 711. sacrificant: dant inde partem |, 738. nunc volo opsonare, ut, hospes, |, 759. 761. 1177. 1187. 1317. 1325. Ps. 666. 676. 988. 1149., vel in fine coacervata sunt: As. 380. facis ergo ac fugis, Mil. 454. 737. 753. 1435. Ps. 291. 613. 735., vel ante diaeresin: As. 152. 217. Mil. 306. 450. 1153. 1174. 1333. 1351. 1352. 1427. 1434. Ps. 290. 677., vel post diaeresin: As. 237. 248. 321. Ps. 298.

Saepe verbum cinctum est substantivo atque adiectivo, ut iam supra vidimus: As. 199. | Graeca mercamur fide, 210. 271. 334./5. 354. 912. Mil. 228. 270. 281. 309. 310. 337. 456. 609. 755. 1178. 1179. 1210. Ps. 268. 279. 346. 356. 373. 388. 618. 678. 683. 974. 1234.

Nonnullis quoque locis nomina propria insignes versus locos occupaverunt: Mil. 778. | Epheso memorat mulieres, 975. 985. Venus me amat Ps. 326. 330. 357. 627. 730. 1159. 1209./10., vel nomen dei: Mil. 286. Di te perdant, 726. 1403. Ps. 1230, vel vocativus: As. 899. 906. 911.

Nomina multis in versibus verba locis insignibus quasi expulerunt, quod qua de causa factum sit, non ubique clarum est. Facile excusantur:

As. 182. volt placere sese amicae, volt mihi, volt pedisequae
vel 512. lingua poscit, corpus quaerit; animus orat, res monet.

Ps. 642. reddere hoc, non perdere erus |, 683. stulti hau scimus, frustra ut simus, 685. certa mittimus, dum incerta | petimus, 1136. | recta habet rectam viam, vel As. 201. si aes habent, dant mercem, Ps. 985. nomen nescit, haeret haec res, vel As. 879. cum corona amplexam amicam, Mil. [603. | locus loquendi lectus est], 622. quae istaec aetas fugere facta magis quam sectari solet. Omnes locos, ubi nomen insignem versus locum occupavit, interpretari longum est, quare numeros afferre satis habeo. Nomen ante verbum exstat: As. 186. 218. 869. 874. 889. 919. 928. 929. Mil. 189. 202. 249. 267. 438. 486. 630. 723. 724. 750. 764. 957. 982. 1148. 1156. 1191. 1199. 1336. 1428. Ps. 349. 385. 630. 638. 645. 691. 696. a. 696. b. 705. a. 738. 1154. 1163. 1235., nomen post verbum exstat: As. 347. 369. 879. Mil. 203. 967. 1407. Ps. 319. 353. 675. 739. 753.

Sane ei loci offensionem non habent, ubi plures personae unum versum pronuntiant, ita ut minimam quisque partem versus habeat:

Ps. 363. Cal. Sacrilege. Bal. Fateor. Ps. Periure. Bal. Vera vaticinamini

quocum loco confer sis: Mil. 250.

In fine huius partis quaestionis nostrae affero eos versus, in quorum fine vox iambicae vel pyrrhichiacae vel creticae mensurae verbum in locum ante illam vocem quasi removit: As. 144. 193. 216. 217. 251. 291. 304. 328. 899. Mil. 204. 342. 605. 662. 793. 801. 966. 970. 983. 1157. 1332. 1375. 1377. Ps. 358. 661. 678. 707. 956. 974. 1148. 1198. 1234., vel. As. 218. 891. Mil. 599. Ps. 644.

III. In versibus Saturniis.

Cum tot Plauti versus perscrutati Plautum poetam verba secundum certum usum collocare viderimus, Plautum primum hac consuetudine usum esse minime verisimile esse nobis persuasum est. Nam sermonem versuum expeditum ac facile currentem ipsum impedimento omni fere versui obiecto

perturbavisse haud putaverimus. Illud igitur quaerere nos oportet, quibus versibus poeta commotus sit, ut verba ratione supra explicata collocaret. Versus autem Saturnii et illi, qui inscriptionibus[1]) servati sunt et illi, qui supersunt ex carminibus poetarum[2]) hoc metro compositi aequam verborum collocationem habent ac senarii iambici et septenarii trochaici. Ne longus sim neve angustos fines huius partis quaestionis meae excedam, quamquam omnes perscrutatus sum, nonnullos tantum versus Saturnios afferam.

Buecheler pg. 3.

Ductu | auspicio imperioque | eius Achaia **capta**
Corinto | **deleto Romam**[1]) **redieit** | **triumphans**
ob hasce | res bene **gestas** quod | in bello uouerat |
hanc aedem et signu | Herculis Victoris | imperator **dedicat.**

[1]) quod nomen proprium est, hoc loco est.

pg. 4. Quod re sua **difeidens** asper **afleicta**
parens timens heic **uouit** uoto hoc **soluto**
decuma **facta poloucta** leibereis lubetes
donu danunt[1]) Hercolei maxsume **mereto**
semol te orant, se uoti crebro **condemnes**

[1]) ut in Plauti fabulis collocatum.

pg. 5. Honc oino ploirume **consentiont** Romane
duonoro optumo **fuise** viro
Luciom Scipione. filios Barbati
consol censor aidilis **hic fuet** apud uos
hec cepit Corsica Aleriaque urbe
dedet Tempestatebus aide meretod uotam.

Livius Andronicus, Odisia:

1. virum mihi Camena, **insece** versutum,
6. tuque mihi **narrato** omnia disertim,
12. quando dies **adveniet quem profata Mortast,**
20. **ibi manens sedeto** donicum **videbis,**
22. namque nullum peius **macerat** humanum
quamde mare saevom **vires cui sunt magnae.**

Naevius, Bellum Poenicum, 3.

postquam arcem **aspexit** in templo Anchisa
sacra in mensa penatium ordine **ponuntur**
immolabat auream victimam pulcram.

---

[1]) Carmina Latina epigraphica. Conlegit Franciscus Buecheler Lips. 1895

[2]) Friedrich Leo, Der saturnische Vers, Abh. d. k. G. d. W. Göttingen 1905.

B. Praedicatum versus exitu a subiecto aut obiecto seiungitur.

I. Praedicatum in altero versu sequitur.

De praedicato seiuncto quaesiturus de eo tantum dicam, quod est seiunctum ab obiecto vel subiecto. Sed cum ad verbum praeter illas orationis partes aliae quoque accedant, satis perspicuum esse intellegimus praedicatum non solum ex obiecto vel subiecto esse considerandum, sed item ex aliis orationis partibus ut adverbiis vel vocibus, quibus locus aut tempus aut modus significatur. Non igitur offendunt ei versus, ubi ad praedicatum ab obiecto vel subiecto seiunctum additis eiusmodi vocabulis poeta versum explevit, neque excusari debent ei, in quibus obiectum quidem dispestum est, sed subiectum uno versu cum praedicato auditur aut seiuncto subiecto obiectum. Ita Trin. 1151. Charmidem socerum suom || Lysiteles salutat subiectum prope praedicatum exstat; similiter Amph. 869. quam || vir insontem probri Amphitruo accusat ubi „vir" in priorem versum ad „quam insontem" quasi fugit atque „Amphitruo accusat" alliteratione cohaerent, quae quantum valeat nemo est qui nesciat. Similes loci sunt Bacch. 176. quem ad epistulam || Mnesilochus misit" Rud. 83. Merc. 741. Poen. 457. a. Ps. 836. 896. Rud. 1345.

Praeter hos locos sunt quoque versus, in quibus ad subiectum aliae voces additae sunt, quos breviter complecti mihi licet ut Cas. 788. incenatum senem || foras extrudunt mulieres et Bacch. 261.

Continuo antiquom hospitem nostrum sibi
Mnesilochus advocavit Pelagonem senem

cum quibus locis conferas Capt. 981. Ep. 126. 362. 429. Men. 200. Mil. 111. Poen. 1050.

Subiecto quidem a verbo dispesto, obiecto ad praedicatum addito de praedicato verba nobis facienda non sunt, imprimis aliis quoque vocibus verbo adiunctis, ut Rud. 1343.

tum ego huic Gripo (dico, Venus, ut tu audias)
talentum argenti magnum continuo dabo

vel Poen. 849. Nam meretrices primis hostiis
Venerem placavere extemplo
vel Poen. 381. nisi ego illi mastigiae
exturbo oculos atque dentes

multaque alia exempla, quae omnia enumerare longum est. Nec magis offendunt exempla, in quibus verbum ab obiecto vel subiecto seiunctum forma est verbi „esse" cum nomine conexa ut Aul. 494. „sint viliores" Cas. 534. Cist. 537. et qu. s., aut si pars obiecti vel subiecti, attributa dico, praedicato addita est, cuius rei praeter Rud. 641. „mulieres || duae innocentes hic sunt" ac Poen. 499. „res serias || omnis extollo ex hoc die in alium diem", (de quo loco Wiebius iudicat pg. 59. „similiter „omnis" dispescitur et plerumque cum verbo temporali coniungitur", vertens voces alterius versus: „verschieb ich sämtlich"), atque Merc. 96., de quo idem dicit: „ne hoc quidem Plautinum esse credo", reliqua praetereo.

Nimirum facile excusantur verba temporalia ab obiecto vel subiecto seiuncta, quibuscum uno versu reperiuntur nomina, quibus de illis aliquid explicatur.

Men. 261. meretrices mulieres || nusquam perhibentur blandiores gentium
Merc. 210. forma eximia mulierem || eam me emisse ancillam matri
quo memo adaeque iuventute ex omni Attica
Most. 30. antehac est habitus parcus
Trin. 40. ut nobis haec habitatio || bona fausta felix fortunataque evenat

tales loci sunt, reliquos praetereo.

Pauca quoque mihi dicenda sunt de praedicato ab obiecto vel subiecto seiuncto, quod cum adverbiis vel nominibus, quibus locus aut tempus aut modus significatur, quae saepius a praepositionibus pendent, conexum est:

Aul. 787. quae res tibi et gnatae tuae || bene feliciterque vortat

Aul. 465. Men. 380. Mil. 231. Pers. 465. Poen. 1372.

Nomen a praepositione pendens invenitur Bacch. 292. „occeperunt ratem || tardare in portu" Capt. 892. Most. 163. Rud. 1378. Bacch. 842. Capt. 991. Poen. 1164. 617. Trin. 25. et qu. s.

Etiam ablativus sine praepositione accedit ad verbum

Ps. 51. leno me peregre militi Macedonio
minis viginti vendidit, voluptas mea.

Bis verbo temp. se applicat genitivus: Aul. 551.

qui mihi omnes angulos || furum implevisti in aedibus
Cist. 561. Unde tibi talenta magna viginti pater || det dotis.

Verbum temporale, quod spectat ad nomen et prioris et alterius versus, recte quidem a poeta in altero versu collocatum est: Amph. 470.

Erroris ambo ego illos et dementiae
complebo atque omnem Amphitruonis familiam
Men. 509 [1]) neque ego Erotio || dedi nec pallam surrupui
Most. 79. priusquam omnia || periere et aedis et ager
Most. 637. Aedis filius || tuos emit. Th. Aedis?
Ps. 58 ei rei dies haec praestitutast || proxuma Dionysia.
Ps. 129. Ostium || lenonis crepuit. Ps Crura mavellem modo,

Stich. 226. 253.

Tractatis exemplis, quae propterea offensionem non habent, quod verbum temp. in altero versu positum iuxta se habet aliquas orationis partes, ita ut obiectum tantum vel subiectum seiunctum esse putaveris, transeo ad illa, quae tali excusatione carent. In omnibus his exemplis videtur poetae consilium fuisse plura verba temporalia uno versu complecti, ut id, quod alterum verbum temp. significat, spectaret ad id, quod alterum significat.

Saepe poeta addidit verbo temporali participium vel gerundium.

Cist. 181 peperisse gnatam atque eam se servo ilico
dedisse exponendam.

Praeterea[2]) Amph. 1098. As. 737. Cas. 767. Cist. 585. Curc. 277. Ep. 213. Men. 128. 466. Merc. 972. Mil. 319. Most. 82. 501. Pers. 117. 157. Poen. 697. Ps. 756. 998. Rud. 162. 559. 748. 1391. Trin. 153. Truc. 309.

Multa repperi exempla, in quibus poeta verbum, a quo pendet infinitivus vel accusativus qu. d. cum infinitivo cum his conexuit. Videndi verbum ita conexum est:

Men. 632. non ego te modo hic ante aedis cum corona florea || vidi astare

As. 23. Men. 511. Merc. 3. Rud. 313., Dicendi: Aul. 107.

[1]) conf. Leo Anal. Pl. 26.

[2]) Quod ubique binos versus tractamus, semper numerum prioris versus afferimus.

Merc. 753. Mil. 238. Trin. 848., Aio: Capt. 978. Cist. 775. Men. 531. Trin. 1139., Negandi: Cas. 602., Nuntiandi: Ps. 1197., censendi: Most. 607., credendi: Trin. 1143., meminisse: Bacch. 327., rendi: Mil. 486., sciendi: Most. 433. Stich. 336., suspicandi: Aul. 109., cupiendi: Cas. 775. Most. 348., iubendi: Cist. 182. Merc. 751. Mil. 1315. Most. 434. Rud. 331. Stich. 247., praeoptandi: Capt. 687., obiectandi: Merc. 410., oportet: Amph. 739. Cas. 362., licuit: Mil. 679., certumst: Cas. 521., volup est: Mil. 276., posse: As. 153. Bacch. 47. 111. Cas. 778. Mil. 224. 528. Most. 595. Poen. 226. (potis sum) Ps. 25. Rud. 688. Stich. 625. Trin. 653. Truc. 89., Volo nolo malo: Men. 370. Mil. 1106. Most. 754. Poen. 1011. 1047. Rud. 489. 648. 839. Stich. 421. Trin. 776. Aul. 702. (nolo) Stich. 699. (mavis) Asin. 894. (malim), soleo: Curc. 78. Ps. 1081. Trin. 905.

Arte quoque omnino cohaerent verbum, a quo pendet sententia secundaria atque verbum huius sententiae. Sed minus arte ea verba temporalia cohaerere putaveris, si in sententiis relativis verbum temporale spectat magis ad nomen in priore versu positum quam ad verbum in altero versu positum.

Amph. 404. nonne hac noctu nostra navis huc ex portu Persico
venit, quae me advexit

Asin. 85. Aul. 492. Ba. 969. (duo verbi dandi sunt formae) Truc. 405. Praeterea Men. 392. „pallam mihi || detulisti, quam ab uxore tua surrupuisti“ et Men. 563.

Multo artius poeta verba temporalia conexuit, si sententia relativa est obiectum praecedentis verbi temporalis ut

Ps. 401. sed quasi poeta, tabulas cum cepit sibi,
quaerit quod nusquamst gentium, reperit tamen

ubi praeterea „quaerit“ spectat ad „reperit“, Truc. 337.

Versibus Amph. 1021. atque Capt. 600., quamvis hic locus obiecto ille subiecto addito non offendat, satis illustrari putaverim poetam verba temporalia versu coniungi voluisse, nam

Amph. 1021. Tibi Iuppiter
dique omnes irati certo sunt, qui sic frangas fores
et Capt. 600. ut illi mastigiae
cerebrum excutiam, qui me insanum verbis concinnat suis

verbis sententiarum secundariarum exprimitur, quid causae sit, cur id fiat, quod prius verbum significat.

Ad locos, ubi quam ob causam aliquid fiat altero verbo indicatum est adiungere mihi licet eos, in quibus verbo temporali enuntiati secundarii exprimitur, cuius rei causa aliquid fiat. Talis structurae sunt hi loci, in quibus nonnulli aliis notionibus cum verbo coniunctis excusantur: Cist. 570. dedi, quae educaret, Merc. 578. arripiamus, qui percoquat, Poen. 558. dederis, quos deferret, Poen. 615. Ps. 412. Trin. 1142.

Id quod verbum temporale enuntiati secundarii significat consequitur id quod prius significat

Amph. 833. nemo corpus corpore
contigit, quo me impudicam faceret

cui loco similis est Truc. 519. Figuratus est locus

Most. 162. mihi quae modestiam omnem
detexit, tectus qua fui . .

Sententia relativa in alterius versus initio collocata se applicat ad nomen prioris versus

Trin. 157. certe illius filiae
quae mihi mandatast, habeo dotem unde dem

Trin. 425. Trapezitae mille drachumarum Olympico
quos de ratione dehibuisti, redditae

hic „dehibuisti - redditae" illic „mandatast - habeo dotem unde dem" conexa sunt.

Iam transeo ad eos versus, in quibus sententiae secundariae a particulis ordiuntur, quibus versibus non minus ac supra allatis elucebit poetam uti ea ratione in vocibus per versus distribuendis, ut illas, quae inter se cohaerent, coniungat. Arte autem cohaerent verba temporalia alterum a quo pendet sententia secundaria cum altero quod est in hoc enuntiato.

Ita cum in poetae animo verbum faciendi prodiit statim obversatur ei, quid fiat, qua re commotus ea verba versu conectit.

Ep. 411. ut ille fidicinam
fecit sese ut nesciret esse emptam tibi

Praeterea Mil. 576. gratiam || fecit ne iratus esset, Poen. 488. Iuppiter || faciat ut semper sacruficem, Ps. 1099. Pseudolum || facere ut det — atque Amph. 612. Cas. 609., qui loci aliis orationis partibus cum eis conexis excusantur.

Nec minus quam faciendi verbum conectuntur alia verba cum verbo enuntiati a particulis „ut" vel „ne" pendentis.

Capt. 442. haec . . te . . || opsecro, infidelior mihi ne fuas
Curc. 270. pacem ab Aesculapio || petas, ne forte tibi evenat
Amph. 933. te, summe Iuppiter
quaero, Amphitruoni ut semper iratus sies
Ba. 389. litteras || misi, amicam ut mi inveniret
Merc. 582. obsonium || curamus, pulchre ut simus
Ps. 484. viginti minas || paritas ut auferas a me
Mil. 253. hunc || inducamus vera ut esse credat
Poen. 194. ut Collybiscum vilicum
hanc perdoceamus ut ferat fallaciam
Ps. 1193. qui te hanc fallaciam
docuit, ut fallaciis . . . . . abduceres.

Ad figuratum locum Mil. 33. „auribus || peraurienda sunt ne dentes dentiant" confer sis Leonis Anal. Plaut. pg. 7.

Locorum, qui excusantur eis, quae supra exposui, nonnullos numeros congerere satis habeo: Amph. 468. Asin. 184. 915. Cas. 340. 772. Men. 732. Merc. 277. 998. Mil. 52. 1147. 1173. Poen. 553. Ps. 7. 808. Aul. 261. „nuptias || num quae causast quin faciamus" eodem tempore poetae obversatur „causast quin faciamus".

Ea quae verbis significantur in poetae animo confunduntur his quoque locis, in quibus sententiae secundariae a „cum" particula ordiuntur:

Ba. 159. compendium edepol haud aetati optabile
fecisti cum istanc nactu's impudentiam
Capt. 452. rem meam || constabilivi, quom illos emi
Ba. 907. ut eum || castigem cum haec sic facta ad hunc faciat modum

Causa item addita est ad prius verbum temporale:

Capt. 764. neminis || miserere certumst quia mei miseret neminem
Most. 427. ludos . . seni || faciam quod credo mortuo numquam fore.

Locis, quos congessi, duo verba temporalia ea ratione versu conexa erant, ut alterum significaret, cur aut quo consilio id fieret, quod altero expressum erat, sed temporis quoque ratione efficitur, ut verba temp. sententiae principalis atque secundariae eodem versu conectantur.

Ba. 530. nunc ego illam me velim
convenire, postquam inanis sum
Ps. 622. argento haec dies
praestitutast, quoad referret nobis, neque dum rettulit

Praeterea hos locos aliis de causis excusatos affero: Merc. 923. Mil. 868. Truc. 392. Aul. 505. Men. 302. Most. 470. Poen. 415. Nonnullis quoque locis iuncturae causa ratione condicionis efficitur:

Ba. 997. Pater, ducentos Philippos quaeso Chrysalo
da, si esse salvom vis me aut vitalem tibi

Poen. 212. habent forte si occeperis, Rud. 329. si videro exquisivero, 1008. ni hunc amittis exurgebo, Trin. 690. si sine dote dem dedisse. Praeterea hos locos aliis de causis excusatos affero: Amph. 904. Ba. 214. Cas. 115. Cist. 184. Truc. 176. Praeter

Truc. 283. quas tu mulieres
mihi narras, ubi musca nulla feminast in aedibus

restant nonnulli loci, ubi id quod prius verbum significat, comparatur cum eo quod alterum significat:

Merc. 90. qui olim puero parvolo
mihi paedagogus fuerat, quasi ut mihi foret custos

Merc. 314. decrepitus senex
tantidemst quasi sit signum pictum in pariete

Mil. 481. plus curat quasi non servitutem serviat, Stich. 19. proinde habetis quasi, 539. erant quasi sunt. Praeterea affero Amph. 516. Cas. 128. Ps. 199.

Ea, quae verba temporalia significant, etiam eis locis comparantur, ubi ad alterum accedit adiectivum sive adverbium gradus comparativi, alteri praecedit „quam“. Capt. 119. liberi lubentius || sumus quam servimus, Pers. 442. citius || abeunt quam . . . circumvortitur,

Ps. 669. nam ipsa mi Opportunitas non potuit opportunius
advenire quam haec allatast mi opportune epistula

Trin. 574. Nunquam edepol quoiquam tam exspectatus filius
natus quam illuc est spondeo natum mihi

pro adiectivo comparativi gradus invenitur participium, cui praecedit „tam“, praeterea hos locos excusatos addo: Aul. 114. 401. Ba. 174. Capt. 421. Merc. 490. Mil. 1293. Most. 532. Trin. 34.

Ea, quae priore verbo significantur, augeri possunt sensu alterius verbi, sicut

Amph. 566. (metr. bacch.) tune id dicere audes, quod nemo unquam
homo antehac
vidit nec potest fieri tempore uno

ad „nemo vidit“, ad quod Sosia respondere potest, „vidi“ adiungit Amphitruo, ut priora confirmet, „nec potest fieri“.

Merc. 216. quin quicque ut dicebam mihi credebat. Char.
Verum ut tibi quidem
visus est. Acan. Non, sed credebat. Char. Vae misero mihi
nullus sum

pater non visus est credere, sed credebat. Similiter

Amph. 756. Neque tu illi neque mihi viro ipsi credis? Alc.
Eo fit quia mihi
plurimum credo et scio istaec facta proinde ut proloquor

sensus verbi credendi augetur sensu sciendi.

Praeterea ea, quae verbo temp. priore significantur, minui aut refutari possunt sensu alterius verbi.

Mil. 988. edepol haec quidem
bellulast. Pal. Pithecium haec est prae illa et spinturnicium.

Nescio an hic iure commemorem

Rud. 783. meas quidem te invito et Venere et summo Iove
de ara capillo iam deripiam. Daem. Tange dum;

vel Rud. 1376. iuratust mihi || dare. Labr. Libet iurare

vel Vid. 83. argenti minam
iam ego adferam ad te. faenus mihi nullum duis

Pseud. 53. minas || dederat; nunc unae quinque remorantur minae.

Inveni nonnullos quoque locos, ubi id, quod prius verbum t. significat, explicatur eis, quae sequuntur; ubique alterum verbum in eodem versu esse videmus.

Most. 451. natus nemo in aedibus
servat, neque qui recludat neque quis respondeat

Most. 638. Euge Philolaches
patrissat: iam homo in mercatura vortitur

Men. 100. Ps. 699.

His quoque locis eis quae sequuntur verbum praecedens explicatur: Merc. 242. hoc denique || respondet, ni properem illam . . ., Merc. 896. omnia || commonstrabo, amicior mihi nullus vivit . . ., Ps. 1205. ut docte dolum || commentust: tantundem argenti quantum miles debuit . . .,

Most. 352. ita mali, maeroris montem maximum ad portum modo
conspicatus sum: erus advenit peregre, periit Tranio

Praeterea Cas. 259. Merc. 253. 603. Poen. 685.

Loco Mil. 1434., qui alia de causa excusatur, Palaestrio || is me in hanc inlexit fraudem. iure factum iudico iudicatur utrum id quod prius verbum significat, merito factum sit necne. Sensus verbi iudicatur quoque Trin. 395.

Paucis versibus monet aliquis, ne id, quod priore verbo significatur, fiat:

Cas. 410. Cur omen mihi
vituperat? Lys. Malo, Chaline, tibi cavendum censeo.

Similes Ps. 47. Trin. 512. Hic illic verbo altero vel reliqua versus parte exponitur, quo modo id, quod priore verbo significatur, efficiatur.

As. 120. eidem homini, si quid recte curatum velis,
mandes: moriri sese misere mavolet

Curc. 255. huic somnium || narra, meliorem quam ego sum suppono tibi

Ep. 565. Men. 1035. Mil. 1296.

Most. 910. Quin ego ipse et Philolaches in publico omnis porticus
sumus commensi. Th. Quid igitur? Tr. Longe omnium longissima est.

quo eventu id, quod priore verbo significatur, factum sit, reliqua versus parte exponitur.

Trin. 919. nisi nomen patris || dices, non monstrare istos possum . .

effecto eo quod dicendi notio significat, id, quod monstrandi significat, fieri potest.

Verbo fatendi confirmat aliquis id esse, quod priore verbo expositum est: Capt. 676. nomina || inter vos permutastis T. Fateor, Aul. 733. Pers. 733. Simili ratione reperitur memini Poen. 1278. tuam maiorem filiam || mihi te despondisse H. Memini. Tota sententia confirmatur Capt. 380. ut viginti minas || dem pro te. Ph. Recte convenisse sentio, solo autem vocabulo ita Mil. 1261. Militem pol || tu aspexisti. A. Ita. Amph. 534. pateram || tibi condono A. Facis ut alias res soles similis est.

Mil. 971. ut eam copiam
sibi potestatemque facias. P. Cupio hercle equidem, si illa volt

quem locum praeterire licet propter ea, quae supra exposui, promittit aliquis se id facturum esse, quod priore verbo cupitur. Conecto

Ba. 386. homini amico
nisi deos ei nil praestare; id opera expertus sum esse ita

Mil. 579. una hic et Palaestrio
me habent venalem: sensi et iam dudum scio

qui loci, quamquam excusationem habent, tamen digni sunt, qui commemorentur, quod in iis is qui loquitur ipse confirmat id quod dicit.

Negatur id quod priore verbo significatur

Cas. 372. huic nostro vilico
gratiam facias. Cl. At pol ego neque facio neque censeo

Ep. 481. Pers. 127., qui omnes loci aliis orationis partibus cum verbo coniunctis offensionem non habent. Nescio an hic commemorem

Ps. 13. id te Iuppiter
prohibessit. Cal. Nil hoc Iovis ad iudicium attinet

Pers. 708. numquid ceterum || voltis? Dor. Vale. verbo „vale“ negatur. Is qui loquitur negat ipse id quod priore verbo exposuit reliqua versus parte:

Aul. 667. Fide censebam maxumam multo fidem
esse, ea sublevit os mihi paenissume.

Ad ea, quae priore verbo exponuntur, interrogat aliquis aliquid Most. 960. fidicinas tibicinas || ducere. Th. Quis istaec faciebat? Most. 971. hic tibicinam || liberavit. Th. Philolachesne ergo? Most. 1082. atque hi excusati loci: Aul. 288. 755. Cist. 294. Ep. 107. Men. 659. Merc. 201. Most. 820. 1016. Poen. 168. 998. Ps. 88. Ad ea quae aliquis interrogat respondetur nullo inter duo verba intervallo intermisso:

Ba. 882. Ducentos nummos aureos Philippos probos
dabin? Chrys. 'Dabuntur' inque responde. Nic. Dabo.

cui loco conferas Ps. 1077. Curc. 526. Affero praeterea Mil. 555.

et ibi osculantem meum hospitem cum ista hospita
vidisti? Scel. Vidi (cur negem quod viderim?)

Intervallum inter duo verba est: Most. 1031. Numquid Tranio || turbavit? Th. Immo exturbavit omnia. Praeterea Amph. 763. Capt. 400. Curc. 389. Epid. 666. Rud. 104. Poen. 591., et hi excusati loci: As. 333. 477. Capt. 353. Cist. 602. Curc. 613. Ep. 597. Men. 1117. Mil. 291. 364. Pers. 692. Poen. 163. Ps. 482. Rud. 646. 1063. 1406. Trin. 926. 1091.

Saepe sententia continuata altero verbo id significatur, quod consequitur aut consecutum est ex eo, quod prius significat:

Amph. 1135. Alcumenae usuram corporis
cepi et concubitu gravidam feci filio

As. 888. quod ancillas meas
suspicabar atque insontis miseras cruciabam

Praeterea As. 71. 80. Cas. 478. Curc. 415. Most. 975. Poen. 803. atque Cist. 532. Merc. 329. Most. 975. Rud. 1365. Trin. 1055.

Altero verbo id quod consequetur expressum est:

As. 27. proinde actutum istuc quid sit quod scire expetis
eloquere: ut ipse scibo te faciam ut scias

Praeterea Cas. 546. Mil. 162. Trin. 727. atque Truc. 418.

Eo quod prius verbum significat non effecto consequetur id quod alterum significat:

Pers. 142. atque nisi gnatam tecum huc iam quantum potest
adducis, exigam hercle ego te ex hac decuria

Hic commemoro praeterea:

Poen. 651. atque istum e navi exeuntem oneraria
videmus. adiit ad nos extemplo exiens

atque Trin. 817., Poen. 1375. quod verbum aures meas || tetigit? nunc perii A. Unde haec perierunt domo? putat aliquis id quod alterum verbum significat, consecuturum esse. Rud. 1384. Quod servo meo || promisisti, meum esse oportet is qui loquitur poscit ut id consequatur quod alterum verbum significat.

Id quod prius verbum significat fit propter id quod alterum significat:

Aul. 390. Aulam maiorem, si pote, ex vicinia
pete: haec est parva, capere non quit

Epid. 497. neque me quidem emere quisquam ulla pecunia
potuit: plus iam sum libera quinquennium

Praeterea Ep. 406. Truc. 525. atque loci aliis de causis excusati Amph. 1132. Capt. 868. Cas. 276. 382. Ep. 35. Men. 418. 678. Mil. 1006. Most. 38. Poen. 1373.

Ad ea, quae prius verbum significat, imperatur aut optatur ut aliquid fiat, ita, ut forma imperativi praecedat: St. 669. peregrina omnia || relinque, Athenas nunc colamus. sequere me. Trin. 1174. Imperativus non praecedit: Amph. 285. ego pol te || accipiam; modo sis veni huc: Curc. 280. dum ego hic officium meum || facio: fugite omnes, abite et de via decedite. Praeterea Amph. 978. Men. 620. 1090. Merc. 1007. Mil. 865. Pers. 541. 824. Poen. 1042. 1320. Trin. 1122. Truc. 149. atque loci excusati As. 896. Ep. 422. Men. 471. Mil. 875. Truc. 432. 741.

Contraria inveniuntur:

Asin. 812. apud amicam munus adulescentuli
fungare, uxori excuses te et dicas senem?

Praeterea Amph. 706. Aul. 671. Curc. 465. Most. 780. Ps. 404. Trin. 550. 618. atque Ba. 125. Capt. 1027. Mil. 926. Trin. 692. 1066.

Id quod verbum significat bis expressum est:

Ba. 406. Ad illam quae tuom
perdidit, pessum dedit tibi filium unice unicum

Praeterea Aul. 476. Capt. 620. 670. Cist. 83. Mil. 170. Ps. 490. Truc. 297. atque excusati loci Ep. 675. Rud. 1367. Trin. 1046.

Faciendi verbum bis terve in altero versu auditur: Amph. 297. Ba. 554. Curc. 23. Pers. 433. Poen. 881., similiter Rud. 642.

Id quod prius verbum significat non bis expressum est, sed tamen verba temporalia alterius versus artissime cohaerent:

As. 522. quotiens te votui Argyrippum filium Demaeneti
compellare aut contrectare, conloquive aut contui

cum quo loco conferas Pers. 53. Verba arte cohaerent praeterea

Amph. 682. quid tu me deridiculi gratia || sic salutas atque appellas

Amph. 714. Ecastor equidem te certo heri advenientem ilico
et salutavi et valuissesne usque exquisivi simul

Praeterea As. 209. Capt. 596. Cas. 89. Ep. 267. 570. Mil. 981. Pers. 474. Ps. 434. Rud. 671. 721. Stich. 404.

Quamquam verba non prorsus idem significant, tamen poeta iis coacervatis eandem rem exprimit atque confirmat:

Curc. 593. verum mulierem peiorem quam haec amica est Phaedromi
non vidi aut audivi, neque pol dici nec fingi potest

Similiter Ep. 575. Men. 500. Mil. 451.

Locis, quos infra scripsi, ea, quae verba temporalia significant, facta sunt vel fiunt vel fient aut eodem tempore aut parvo tantum intervallo intermisso. Verba coniuncta sunt coniunctionibus „et“ vel „atque“.

Trin. 488. nunc condicionem hanc, quam ego fero et quam abs te peto
dare atque accipere, Lesbonice, te volo

verba quasi contraria sunt ut Ps. 41. Alii loci sunt:

Amph. 745. Quippe qui ex te audivi, ut urbem maximam expugnavisses regemque Pterelam tute occideris

Praeterea Aul. 327. Merc. 74. Mil. 930. Poen. 1058. 1393. Ps. 1206. Stich. 193. 438. atque loci excusati: As. 884. Men. 862. Mil. 411. Most. 218. Pers. 653.

Sine coniunctione „atque“ vel „et“ hos habeo locos:

Amph. 599. ordine omne, uti quicque actum est, dum apud hostis sedimus edissertavit. tum formam una abstulit cum nomine

Praeterea hi loci excusati: Amph. 796. Ep. 616. Men. 1140. Merc. 910. Mil. 59.

„Nec“ particula negatur id quod verbis significatur:

Men. 509. Neque hercle ego uxorem habeo neque ego Erotio dedi nec pallam surrupui

Non offendunt:

Mil. 62. ibi illarum altera || 'ergo mecastor pulcher est' inquit mihi

atque Stich. 552. Nonnulli loci restant: Parataxis qu. d. invenitur:

Ba. 868. tum illam, quae corpus publicat suom
faxo se haud dicat nactam quem derideat

et Merc. 427., 405. Quia illa forma matrem familias || flagitium sit si sequatur „flagitium si sequatur“ a poeta conexa sunt, ut Rud. 697. illos scelestos || fac ut ulciscare „fac ut ulciscare“. Versibus Amph. 1111. (1113. angues || persequi)

postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi
ego cunas recessim rursum vorsum trahere et ducere
metuens pueris, mihi formidans; tantoque angues acrius
persequi. postquam conspexit angues ille alter puer,
citus e cunis exilit, facit recta in anguis impetum:
alterum altera prehendit eos manu perniciter

Bromia ancilla magna animi motione narrat, ut res mira gesta sit, qua re verba temporalia multa hoc loco inveniuntur, quae, ut vi efferantur, in initio aut fine versus aut ante aut post caesuram posita sunt.

Ep. 131. quod tute ad me litteras
missiculabas St. Perdidisti omnem operam.

verbis nullo intervallo collocatis significatur quantopere Stratippoclis amor mutatus sit.

Merc. 269. verum hercle simia illa atque haedus mihi malum adportant, atque eos esse quos dicam hau scio

„adportant — quos esse dicam hau scio“ arte cohaerent.

Friv. VIII. tunc papillae primulum || sororiabant; illud volui dicere || fraterculabant

non offendit.

Ep. 146. Facile tu istuc sine periclo et cura, corde libero fabulare; novi ego nostros: mihi dolet cum ego vapulo

ac similiter Amph. 467. servom hinc sese a foribusSosiam || amovisse

praeterea As. 909. Capt. 1005. Cist. 764. certum poetae consilium non inveni.

II. Praedicatum praecedit.

De eis locis, in quibus praedicatum antecedit, obiectum autem vel subiectum in altero demum versu sequitur disputaturus omnes locos, qui eis quae in pg. 30. exposui, excusati sunt, omittam. Praeter eos non offendunt ei loci, in quibus sententia relativa vel interrogativa in prioris versus fine incipit, ita, ut verbum temp. subiecto vel obiecto non careat.

Ba. 235. Ibo in Piraeum, visam ecquae advenerit
in portum ex Epheso navis mercatoria

Mil. 1345. Obsecro, quem amplexa sum || hominem?

Ps. 294. nullus est tibi quem roges || mutuom argentum?

Ei quoque loci excusati sunt in quibus ut Aul. 610. si quis illam invenerit || aulam onustam auri „pronomen „ille“ vel „is“ ita dirimitur, ut substantivum apositio sit.“ (Wiebe l. c. pg. 55.)[1]) Similis est Truc. 661. nunc hoc deferam || argentum ad hanc.

Hic illic praedicatum a subiecto vel obiecto seiunctum bene ad priora se applicat, ita, ut subiectum vel obiectum non desideretur.

As. 589. nimis vellem habere perticam. Lib. Quoi rei? Leon. qui verberarem asinos si forte occeperint

Ba. 185. hospitium et cenam pollicere, ut convenit || peregre advenienti

Cas. 342. coniciam sortis in sitellam et sortiar || tibi et Chalino

Most. 598. quoi sortem accipere iam licet? D. Quin non peto sortem: illuc primum, faenus reddundum est mihi.

Saepius verba temp. in priore versu coacervata sunt: Ba. 271. damnatus demum, vi coactus reddidit.

[1]) Prescott l. c. pg. 250., Brix-Niemeyer ad Mil. glor. 122.

Infinitivus et verbum a quo pendet infinitivus conexa sunt: Curc. 594., non vidi aut audivi, neque pol dici nec fingi potest. Ep. 100. Men. 919. et nonnulla alia exempla.

Nonnullis locis verbum temp. sententiae secundariae se applicat ad verbum sententiae primariae: Cist. 55. hoc sis vide ut petivit || suspiritum alte, Mil. 233. dum te induco, ut scias || iuxta mecum mea consilia Curc. 347. Mil. 295. Most. 517. Poen. 1378. Rud. 1206., aut verbum temp. sententiae primariae coniunctum est cum verbo sententiae secundariae:

Merc. 256. postquam id quod volui transegi, atque ego conspicor navem ex Rhodo quast heri advectus filius

Poen. 1118. Hic commemoro Most. 897. quaeso hercle abstine || iam sermonem de istis rebus.

Complura verba modi imperativi per versum priorem distributa sunt

Aul. 103. Tace atque abi intro. St. Taceo atque abeo. Eucl. Occlude sis fores ambobus pessulis.

Men. 690. Merc. 779. Most. 23. 468. Rud. 657.

Formae eaedem coacervatae sunt: Aul. 517. cedunt petunt || treceni, Cist. 650. Abiit abstulit || mulierem, Men. 475. Ps. 419. liberare et quaerere || argentum, Truc. 403.

Idem verbum bis terve auditur:

Ba. 555. facere faceres. P. Dic modo hominem qui sit si non fecero

Capt. 139. Merc. 486.

Visne eam ad portum — C. Qui potius quam voles? E. Atque eximam mulierem pretio?

„eximam“ spectat ad „visne“.

Aul. 373. venio ad macellum, rogito pisces: indicant

id quod alterum verbum significat, secutum est id quod prius significat, ut sequetur Mil. 355., de quo loco conferas Appuhn l. c. pg. 48.

Mil. 1152. nunc haec res apud summum puteum geritur: si praesenserit miles

altero verbo explicatur, cur res apud summum puteum geratur.

Rud. 777. Hunc quoque adserva ipsum, ne quo abitat; nam promisimus carnufici aut talentum magnum

illi loco similis est.

Paucis locis verbum in fine prioris versus collocatum est, ut vi efferretur.

Cist. 528. Abiit intro iratus. quid ego nunc agam? si redierit illa ad hunc

Ep. 480. Non haec inquamst. non novisse me meam rere amicam posse?

Merc. 531. Bono animo es, liberabit || ille te homo

Most. 943. an iam vendidit || aedis Philolaches?

Restant pauci loci. Offensionem non habent:

Aul. 806. spatium ei dabo exquirendi || meum factum

Men. 128. dona quid cessant mihi || conferre omnes congratulantes

Ex subiecto tantum vel obiecto seiuncto haec verba temp. consideranda sunt:

Cist 609. haec est prior, quae nupta nunc est? Lamp. Conteris tu tua me oratione

Ep. 451. Immo si audias meas pugnas, fugias manibus dimissis domum

Merc. 864. Nescio quoia vox ad aures mi advolavit. Ch. Invoco vos, Lares, viales. ut me bene tutetis

Truc. 826. per tua obsecro genua te, ut istuc insipienter factum sapienter feras

Excusatione carere videtur:

Cist. 579. 'avecta est' inquit 'peregre hinc habitatum'. Mel. Obsipat aculam. Lamp. 'Quo avecta est, eo sequemur, sicine.

C. Obiectum aut subiectum versus exitu a praedicato seiungitur.

I. Obiectum sive accusativi sive dativi casus in priore versu est, praedicatum in altero sequitur.

Obiectum a praedicato seiunctum est, quod explicatur sententia secundaria, atque ea relativa:

Aul. 733. Quia istuc facinus quod tuom sollicitat animum, id ego feci et fateor. E. Quid ego ex te audio?

pars enuntiati relativi in alterum versum transfertur, quo in versu obiectum pronomine „id“ excipitur, cui loco conferas

Ba. 214. etiam Epidicum, quam ego fabulam aeque ac me ipsum amo, nullam aeque invitus specto, si agit Pellio

atque Ba. 306. Men. 678.

Curc. 525. (sept. iamb.) Numquid vis, leno? C. Istas minas decem,
qui me procurem
dum melius sit mihi, des. L. Dabuntur, cras peti iubeto.

Praeterea Ba. 554. 863. Capt. 670. Ep. 362. (sept. iamb.) 440. Men. 678. Merc. 74. Mil. 981. Ps. 1206. Rud. 331. (sept. i.) 697. (sept. i.) Trin. 395. 488. 512. 1015. Truc. 418. Bis obiectum accusativi casus cum dativo priore in versu coniunctum sententia relativa sequitur: Amph. 534. Mil. 1147.

Iam sequuntur ei versus, ubi obiectum sententia secundaria, qua condicio expressa est, sequitur.

As. 120. eidem homini, si quid recte curatum velis,
mandes: moriri sese misere mavolet

Capt. 596. atra bilis agitat hominem. A. At pol te, si hic sapiat senex
pix atra agitet apud carnificem . . .

accusativus pronominis personalis ad particulam affirmativam „pol“[1]) se applicat. Mil. 170. Ps. 25. Trin. 1174. Reliqui sunt pauci loci: Amph. 599. As. 27. Aul. 327. Curc. 593. Mil. 93.

Non cum sententia secundaria, sed vocabulis, quae forma attributi obiectum explicant, hoc priore versu coniunctum est:

As. 522. quotiens te votui Argyrippum filium Demaeneti
compellare aut contrectare, conloquive aut contui

Amph. 714. 978. 1135. As. 282. Ba. 159. 882. Ep. 107. 126. Mil. 555. Most. 352. 404. 1026. a. Pers. 53. Poen. 651. Ps. 1017. Stich. 226. 253.

Iam sequuntur loci, ubi casus obliquos pronominis personalis vocativus sequitur:

Amph. 933. id ego si fallo, tum te, summe Iuppiter,
quaeso, Amphitruoni ut semper iratus sies

Mil. 874. Pauci loci restant:

Amph. 906. cum ea tu sermonem nec ioco nec serio
tibi habeas, nisi sis stultior stultissimo

„nec ioco nec serio“ pro duobus adiectivis est.

Aul. 215. Certe edepol equidem te civem sine mala omni malitia
semper sum arbitratus et nunc arbitror. E. Aurum huic olet

ad pronomen „te“ Megadorus adiungit, quid de Euclione semper arbitratus sit.

Cum exemplis adhuc allatis obiectum, quod sententiis secundariis aut attributis aut similibus explicatum erat, a suo

---

[1]) v. Kämpf De pron. pers. usu et colloc. Diss. Berol. 1885 pg. 40.

verbo t. dispestum esse intellexerimus, iam videamus, quibus locis obiectum ratione structurae prioris versus seiunctum sit. Haec igitur affero exempla, in quibus obiectum ea de causa seiunctum est, quod optime notiones in eo versu antecedentes sequitur. Verbum t. enuntiatum sequitur secundarium:

As. 183. volt placere sese amicae, volt mihi, volt pedisequae,
volt famulis, volt etiam ancillis; et quoque catulo meo
subblanditur novos amator, se ut quom videat gaudeat

novos amator non solum homines sed etiam bestias sibi morigerantes facere cupiens perficit, ut catulus se gavisus excipiat, quare „catulo meo“ bene ad priora se applicat.

Asin. 894. Dic amabo, an fetet anima uxoris tuae? D. Nauseam
bibere malim, si necessum sit, quam illam oscularier

libidinosus senex meretricis palpationibus concitatus ad ea, quae Philaenium interrogat, turpissima notione respondet; „bibere oscularier“ formis alter versus eleganter circumscribitur.

Aul. 261. Nulla controversia mihi tecum erit. sed nuptias
num quae causa est quin faciamus hodie? E. Immo edepol optuma

cum Euclio senex superioribus versibus quantopere Megadoro diffideret, satis ostendisset, hic cum illo sibi controversias non futuras esse confirmans tamen dubitans rectene dixerit eandem diem nuptiis proponens loquitur: „sed nuptias“.

Capt. 600. Crucior, lapidem non habere me, ut illi mastigiae
cerebrum excutiam, qui me insanum verbis concinnat suis

Aristophontes maxime iratus Tyndaro lapidem sibi optat atque ad lapidis notionem statim adiungit „illi mastigiae“, quod iam animo suo se videt Tyndarum lapide affligentem. Huic loco similis est.

Men. 801. quando te auratam et vestitam bene habet, ancillas penum
recte praehibet, melius sanam est, mulier, mentem sumere

non solum ornamentis et vestibus honestae matronae opus est, sed etiam ancillis atque penu, quare eae voces uno versu conectuntur.

Men. 858. Faciam quod iubes; securim capiam ancipitem, atque
hunc senem
osse fini dedolabo assulatim viscera

(ἀνακόλουθον), ubi Menaechmo delirare se simulanti ultro notio securis cum senis, qui affligetur, confluit. Certe gestu

histrionis Menaechmi personam ferentis voces dictae tam arte colligabantur, ut minime offenderent.

Mil. 481. Satin abiit ille neque erile negotium
pus curat, quasi non servitutem serviat?

Sceledrus Palaestrionem abisse animadvertens erile negotium neglegi primum cogitat.

Mil. 868. quia Sceledrus dormit, hunc subcustodem suom
foras ablegavit, dum ab se huc transiret. placet.

non solum Sceledrum sed etiam subcustodem cavere Philocomasium oportet; bene igitur nomina „Sceledrus subcustodem" eodem versu audiuntur.

Mil. 875. (sept. i.) Rem omnem tibi, Acroteleutium, tibique una, Milphidippa,
domi demonstravi in ordine. hanc fabricam fallaciasque
minus si tenetis, denuo volo percipiatis plane;

ad „rem demonstravi" arte se applicat „fabricam fallaciasque".

Pers. 582. Tum tu mi es inimicus certus, nam generi lenonio
nunquam ullus deus tam benignus fuit, qui fuerit propitius

notionem „mi es inimicus" altera „generi lenonio" recte atque ex usu sequitur.

Poen. 1393. nam non meae sunt prosum. tum autem aurum tuom
reddam, quod apud me est, et ius iurandum dabo

Lycus cum puellas se dimissurum esse dicat statim auri mentionem facit.

Stich. 99. Bonas ut aequomst facere facitis, quom tamen apsentis viros
proinde habetis quasi praesentes sint. S. Pudicitiast, pater,

obiectum ad priora se applicat, nam versibus 96. et ins. soror blanditur patri ad quae respondens Antipho filias laudat quare „bonas — tamen apsentis viros" eodem versu audiuntur.

Trin. 919. At enim multi Lesbonici sunt hic: nisi nomen patris
dices, non monstrare istos possum homines quos tu quaeritas

sycophantae n o m e n p a t r i s dicendum est, quod multis hominibus nomen L e s b o n i c o datum est,

Truc. 149. Non arvos hic, sed pascuost ager: si arationes
habituru's, qui arari solent, ad pueros ire meliust

vocabulum „arationes" respondet ad „arvos" atque contrapositum est vocabulo „pascuos".

His locis altero versu complura verba t. coniuncta sunt:

Amph. 1132. nihil est quod timeas. hariolos, haruspices
mitte omnes: quae futura et quae facta eloquar

Iuppiter Amphitruoni qui ipse sit aperiens imperat, ne timeat, cumque nihil sit causae cur timeat dimittat: „hariolos haruspices", hae igitur voces arte verbo „timeas" se applicant.

Aul. 475. Narravi amicis multis consilium meum
de condicione hac: Euclionis filiam
laudant, sapienter factum et consilio bono

condicio, de qua Megadorus loquitur, significat nuptias, ex qua notione in illius animo maxime elucet notio filiae.

Ba. 489. Perdidisti me sodalis. egone ut illam mulierem
capitis non perdam? perire me malis malim modis

Mnesilochus cum putet mulierem, quam deperit, a sodali esse contrectatam statim post „perdidisti" dicit „illam mulierem".

Capt. 676. ita vosmet aiebatis itaque nomina
inter vos permutastis. T. Fateor, omnia

cum in versu 675. „illum servum-te liberum" opposita sint his ad „ita aiebatis" in Hegionis animo statim vox „nomina" clara fit.

Capt. 1027. eamus intro, ut arcessatur faber, ut istas compedes
tibi adimam, huic dem. S. Quoi peculi nihil est, recte feceris

notio fabri cum compedum notione facile componitur, sicut altero in versu „tibi adimam-huic dem" composita sunt.

Cist. 195. pater adulescenti dare volt uxorem; hoc ubi
mater rescivit, iussit accersi eam domum

pronomine „hoc" ea quae praecedunt excipiuntur.

Epid. 131. impetratum est, empta ancilla, quod tute ad me litteras
missiculabas. S. Perdidisti omnem operam. E. Nam qui perdidi?

Epidico servo litteris mandatum est, ut ancillam emeret. Quamquam Epidicus Stratippoclem epistulas missiculasse dicit tamen hic intervallo non intermisso respondet: „perdidisti".

Epid. 570. Quid est, pater, quod me excivisti ante aedis? P. Ut matrem tuam
videas, adeas, advenienti des salutem atque osculum

Periphanes gavisus quod delictum in adulescentia commissum emendare potest Acropolistidi interroganti id respondet eodem versu, quod tum summam in eius animo vim habebet. Verba temporalia alterius versus initio coacervata Periphanis animi motum significant.

Epid. 597. quibus de signis agnoscebas? P. Nullis. P. Quare filiam credidisti nostram? P. Servos Epidicus dixit mihi

Philippa mulier, cum Periphanes nullis signis fidicinam illam filiam suam esse cognoverit, irata obiectum graviter pronuntians exclamat: „qua re filiam".

Men. 471. non hercle is sum qui sum, nisi hanc iniuriam meque ultus pulchre fuero. observa quid dabo

Peniculus cena exclusus iniuriam sibi allatam ulturus minatur versu sine caesura composito: „non hercle et qu. s.", ad quas voces optime iniuriae notionem adiungit.

Merc. 95. lucrum ingens facio praeterquam mihi meus pater dedit aestimatas merces: ita peculium conficio grande. sed dum in portu illi ambulo

Charinus lucro ingenti facto peculium auxit, quae quidem vox prope illa vocabula collocata est, quibus indicat se lucrum ingens fecisse.

Merc. 490. Tanti quanti poscit, vin tanti illam emi? Ch. Auctarium adicito vel mille nummum plus quam poscet. E. Iam tace.

Charinus meretricem omni pretio emi vult: quamvis magno constet pretio, tamen eam emat Eutychus, atque ut est insanus Charinus iubet Eutychum etiam auctarium adicere ad pecuniam.

Mil. 1261. ita animus per oculos meos meus defit. M. Militem pol tu aspexisti. A. Ita. M. Non video. ubi est? A. Videres pol, si amares

Milphidippa, cum videat Acroteleutium animo relinqui, bene docta vocem militis clare exclamat; nam ex convento Acroteleutium simulat se milite conspecto animo relinqui.

Mil. 1331. ne adfligatur. P. Quid istuc quaesost? P. Quia abs te abit, animo male factum est huic repente miserae. P. Curre intro atque ecferto aquam

dativus[1]) „animo" subsequitur sententiam, qua intellegitur, cur Philocomasii animo male fiat.

Most. 82. nunc rus abibo, nam eccum erilem filium video corruptum ex adulescente optimo

Grumio servos miseratur senem, cuius filius absente patre rem, cum sit profusissimus, perdit. Tantopere dolet, ut Philolachetem ne videre quidem velit, quo efficitur, ut ad „rus abibo" se applicet „nam . . . filium".

[1]) v. Brix-Niemeyer ad hunc locum.

Most. 218. (sept. i.) In anginam ego nunc me velim verti, ut veneficae illi fauces prehendam atque enicem scelestam stimulatricem

Philolaches in anginam se verti vult, ut veneficam necet, „anginam-veneficae" notiones graves sunt.

Most. 960. scorta duci, pergraecari, fidicinas tibicinas ducere. Th. Quis istaec faciebat? Ph. Philolaches. Th. Qui Philolaches?

fidicinae atque tibicinae eiusdem generis sunt ac scorta, quae vocabula eodem versu audiuntur.

Pers. 127. Iam nolo argentum: filiam utendam tuam mihi da. S. Numquam edepol cuiquam etiam utendam dedi

bis binae notiones contrarie referendae: „nolo argentum-filiam", „da — nunquam dedi" per duos versus distributae sunt.

Poen. 457.a. neque ea poricere volui, quoniam non bona haruspex dixit: deam esse indignam credidi

notio „non bona" gravissima est enuntiati, quo Lycus disserit, cur exta non porrexerit.

Poen. 1042. verum ego hic hospitium habeo: Antidamae filium quaero (commostra si novisti) Agorastoclem

Hannonis hospitium Antidamae filius est.

Ps. 88. sed quid ea drachuma facere vis? Cal. Restim volo mihi emere. Ps. Quam ob rem? C. Qui me faciam pensilem.

Calidorus de amore suo desperans Pseudolo respondet obiectum „restim" dicens.

Ps. 1205. edepol hominem verberonem Pseudolum, ut docte dolum commentust: tantundem argenti quantum miles debuit

verberonis est docte dolum comminisci.

Rud. 1139. quid si ista aut superstitiosa aut hariolast atque omnia quidquid insit, vera dicet: anne habebit hariola?

animo Gripi voces „superstitiosa" atque „hariolast" pronuntiantis iam obversatur obiectum „omnia".

His locis in altero versu verbum temp. cum infinitivo coniunctum est:

Cas. 521. Fac vacent aedes. Alc. Quin edepol servos ancillas domo certum est omnis mittere ad te. L. Oh, nimium scite scitus es

aedes vacant servis ancillisque foras dimissis quae voces eodem versu sunt.

Mil. 276. Quis hic est? P. Tuos conservos. quid agis, Sceledre? Sc. Te, Palaestrio volup est convenisse. P. Quid iam? aut quid negotist? fac sciam

pronomen „te“ cum vocativo coniunctum[1]) bene se applicat ad ea, quae Palaestrio interrogat, nam cum Sceledrus vocem eius quem quaeritat, audiverit, statim nomen eius pronuntiat.

Mil. 1106. Convenit. Pyrg. Ecquid fortis visast? Pal. Omnia
vis optinere. Pyrg. Ubi matrem esse aiebat soror?

obiecto „omnia“ miles reprehenditur, qui ut est libidinosus, omnia amplexurus quaeritat num aliqua mulier plane aliena ignotaque fortis sit.

Most. 595. non dat, non debet. D. Non debet? T. Ne frit quidem
ferre hinc potes, an metuis ne quo abeat foras

danista argentum reposcit, quam ob rem Tranio eum pipulo diffamat sermonis finem faciens „non debet“. Tum danista id indignatus atque obstupefactus exclamat: „Non debet?“ Tum Tranio: „Ne frit quidem“. Restant hi loci:

Capt. 872. nunc hanc laetitiam accipe a me, quam fero. nam filium
tuom modo in portu Philopolemum vivom, salvom et sospitem
vidi

Ergasilus Hegioni seni nuntium iucundissimum relaturus ruit in dicendo, multa verba ex ore eius effluunt, primum autem post „laetitiam accipe“ „filium“ dicit, id quod summo Hegionis animum gaudio afficit.

Curc. 277. Quid istic clamorem tollis? P. Parasitum tuom
video currentem ellum usque in platea ultima

Palinurus Phaedromo respondet exclamans vocem parasiti, qui maxime exspectatur ac paulo ante a Palinuro conspectus est.

Ps. 404. nunc ego poeta fiam: viginti minas
quae nusquam nunc sunt gentium inveniam tamen

versibus antecedentibus Pseudolus exponit poetam invenire, quae nusquam sint gentium; itaque se velle poetam fieri, ut viginti minas reperiat, quo apertum fit, quam ob rem obiectum in priore versu positum sit.

Trin. 905. novistin hominem. S. Ridicule rogitas, quicum una cibum
capere soleo. Ch. Quid est ei nomen? S. Quod edepol homini probo.

sycophanta diverbio illo ridicule composito confirmaturus se Charmidem novisse exclamat ad formam „novistin“ respondens: „quicum una cibum“.

---

[1]) vide sis pg. 46.

Exemplis supra allatis obiectum ea de causa priore versu collocatum erat, quod optime notiones in eo versu antecedentes sequebatur; iam sequuntur ea, in quibus uno vocabulo antecedente efficitur, ut obiectum in priore versu scriptum sit. Primum ea exempla afferre mihi libet, ubi verbum temporale enuntiatum secundarium sequitur.

Amph. 612. At ego nunc, Amphitruo, dico: Sosiam servom tuom
praeter me alterum, inquam, adveniens faciam ut offendas domi

nomina propria „Amphitruo“ „Sosiam“ a poeta consilio conexa esse puto.

Asin. 390. Ita haec morata est ianua: extemplo ianitorem
clamat, procul si quem videt ire ad se calcitronem

vox „ianua“ quasi allexit „ianitorem“; voces „ianitorem“ „calcitronem“ ut aures feriant, versuum fines occupaverunt.

Mil. 33. venter creat omnis hasce aerumnas: auribus
peraurienda sunt, ne dentes dentiant

primo versu explicatur, quae pars corporis aerumnas pariat et cui pariantur, in altero versu sunt duo verba t. ridicule ficta.

In altero versu complura verba temp. coniuncta sunt:

Amph. 796. praecucurristi, atque hinc pateram tute exemisti atque eam
huic dedisti, post hanc rursum obsignasti clanculum

pronomine „eam“ obiectum „pateram“ iterum dicitur.

Aul. 667. Fide censebam maxumam multo fidem
esse, ea sublevit os mihi paenissume

versus prior quasi circumscribitur duabus formis eiusdem vocis.

Bacch. 172. saluto te, vicine Apollo, qui aedibus
propinquos nostris accolis, veneroque te

„vicine Apollo“ atque „aedibus“ simul animo obversantur.

Capt. 140. Talem adulescentem? H. Semper sensi, filio
meo te esse amicum, et illum intellexi tibi

nomina „adulescentem“ „filio“ eundem significant.

Cas. 778. novi ego illas ambestrices: corbitam cibi
comesse possunt. sed aperitur ostium

nomen „ambestrices“ facile cum obiecto „corbitam cibi‘ coniungitur.

Cist. 184. reperire quae sustulerit. ei rei nunc suam [1])
operam usque assiduo servos dat, si possiet

---

[1]) v. Wiebe l. c. pg. 45., Prescott pg. 245.

dativus „rei“ significat operam reperiendi.

Ep. 473. quam introduxistis fidicinam. atque etiam fides
ei quae arcessere, tibi addam dono gratiis

„fidicinam“ „fides“ ab eadem voce derivata sunt.

Men. 321. tibi et parasito et mulieri? Men. Quas tu mulieres
quos tu parasitos loquere? Mess. Quod te urget scelus

formae „mulieres“ ac „mulieri“ in fine versus et post caesuram sunt.

Men. 479./480. Ait hanc dedisse me sibi, atque eam meae [1]
uxori surrupuisse. quoniam sentio

in priore versu quinque pronomina sunt.

Merc. 216. quin quicque ut dicebam mihi credebat. Char. Verum, ut tibi quidem
visus est. Acan. Non, sed credebat. Char. Vae mihi misero nullus sum

pronomina „mihi“ „tibi“ eundem significant.

Mil. 1006. tum haec celocula autem absentem subigit me ut amem. P. hercle hanc quidem
nil tu amassis; mi haec desponsast: tibi si illa hodie nupserit

„hanc“ significat celoculam.

Pers. 718. Credidi gratum fore
beneficium meum apud te. D. Immo equidem gratiam
tibi, Toxile, habeo; nam te sensi sedulo

ex beneficio gratia oritur, quae quidem notiones coniunctae sunt.

Rud. 1378. Qua pro re argentum promisit hic tibi? Gr. Si vidulum
hunc redegissem in potestatem eius, iuratust dare

res, pro qua argentum promissum est, vidulus est.

Rud. 1384. promisistin huic argentum? L. Fateor. D. Quod servo meo
promisisti, meum esse oportet, ne tu, leno, postules

pronomen „huic“ servum significat.

Trin. 157. si quid eo fuerit, certe illius filiae
quae mihi mandatast, habeo dotem unde dem

pronomini „eo“ opponitur „illius filiae“.

Trin. 1066. Quia boni malique in ea re pars tibi est. St. Partem alteram
tibi promitto; illam alteram apud me, quod bonist, appponito.

formae „pars-partem“ inter se petunt.

Trin. 1100. thensaurum effodiebam intus, dotem, filiae
tuae quae daretur. sed intus narrabo tibi

certe vox „filiae“ arte se applicat ad „dotem“.

---

[1]) v. Wiebe pg. 45., Prescott pg. 243.

Reliqui sunt hi loci:

Amph. 895. insonti exhibuit, nunc autem insonti mihi
illius ira in hanc et male dicta expetent

„insonti“ atque „insonti mihi“ versus initium atque finem occupaverunt.

Poen. 499. Ita res divina mihi fuit: res serias
omnis extollo ex hoc die in alium diem

voces „res divina-res serias“ in initio et fine prioris versus collocatae aures feriunt.

Stich. 336. omnia membra lassitudo mihi tenet. P. Linguam quidem
sat scio tibi non tenere. P. Ita celeri curriculo fui

unum membrum, quod non lassitudine tenetur, in priore versu nominatim affertur.

Truc. 89. mihi verba retur dare se? an me censuit
celare se potesse, gravida si foret?

formae „mihi“ „me“ in eodem versu positae certe voce ac gestu loquentis efferebantur.

Structuram exemplis supra allatis similem etiam hi versus habent:

Rud. 162. quod facinus video. D. Quid vides? Sc. Mulierculas
video sedentis in scapha solas duas

Sceparnio ad „vides“ valde perturbatus nullo intervallo intermisso exclamat: „mulierculas“, ita, ut verbum „video“ alterius in versus initio positum magis ad „sedentis in scapha“ adiunctum esse putaveris.

Ad verbum quoque temporale, a quo non pendet, sed quocum in animis poetae ac loquentium arte cohaeret, obiectum apponitur ac priore versu collocatur, ita, ut ab eo verbo infinitivus aut constructio accusativi cum infinitivo qu. d. pendeat, quo infinitivus qui illud obiectum habet, in alterum versum transfertur.

Aul. 199. Da mi operam parumper. paucis, Euclio, est quod te volo
de communi re appellare mea et tua. E. Ei misero mihi

Bacch. 292. quoniam vident nos stare, occeperunt ratem
turbare in portu. N. Edepol mortalis malos

Bacch. 530. Reddidi patri omne aurum. nunc ego illam me velim
convenire, postquam inanis sum. contemptricem meam

Capt. 167. Habe modo bonum animum, nam illum confido domum
in his diebus me reconciliassere

Capt. 249. Scio quidem me te esse nnnc et te esse me. Ph. Em istuc si potes
memoriter meminisse, inest spes nobis in hac astutia.

Curc. 64. alias talentum magnum: neque quicquam queo
aequi bonique ab eo impetrare. Pal. Iniuriu's

Poen. 191. Aphrodisia hodie sunt. Mil. Scio. Ag. Oculos volo
meos delectare munditiis meretriciis

Poen. 615. Iam ego istuc revortar, miles: convivas volo
reperire nobis commodos, qui una sient

Ps. 1099. Bene hercle factum. quid ego cesso Pseudolum
facere ut det nomen ad molas coloniam?

Praeterea Epid. 422. Men. 862. Merc. 253. 998. Most. 1173. Poen. 1011. Pseud. 808. Trin. 1091. Truc. 525.

Iam videamus ea exempla, in quibus ex duabus vocibus contrarie relatis, quae in priore versu collocatae sunt, altera obiectum est, ac primum ea, in quorum altero versu complura verba temporalia sunt:

Voces contrarie referendae sunt:

As. 71. neque puduit eum id aetatis sycophantias
struere et beneficiis me emere gnatum suom sibi

„id aetatis sycophantias“

As. 812. ain tu? apud amicam munus adulescentuli
fungare, uxori excuses te et dicas senem?

„apud amicam-munus adulescentuli“ „uxori-senem“

As. 888. Ille ecastor suppilabat me, quod ancillas meas
suspicabar atque insontis miseras cruciabam. A. Pater

„ille-ancillas meas“

Aul. 505. Nunc quoquo venias plus plaustrorum in aedibus
videas quam ruri, quando ad villam veneris

„plus plaustrorum-in aedibus“

Capt. 868. Iuppiter te dique perdant. E. Te hercle — mi aequom est gratias
agere ob nuntium; tantum ego nunc porto a portu tibi boni

„te perdant-gratias“

Curc. 389. quis hic est qui operto capite Aesculapium
salutat? attat, quem quaerebam. sequere me

„operto capite-Aesculapium“

Curc. 465. quamquam cum istoc mihi negoti nihil est; ipsi Phaedromo
credidi; tamen asservabo. sed dum hic egreditur foras

choragus de nugatore timens ei opponit Phaedromum.

Ep. 267. Continuo arbitretur uxor tuo gnato atque ut fidicinam
illam quam is volt liberare, quae illum corrumpit tibi
ulciscare atque ita curetur, usque ad mortem ut serviat

„uxor fidicinam“ contraria sunt.

Ps. 47. Pro lignean salute vis argenteam
remittere illi? vide sis quam tu rem geras

„lignean-argenteam“

Rud. 783. meas quidem te invito et Venere et summo Iove
de ara capillo iam deripiam. D. Tange dum

Labrax puellas suas esse confirmans non solum Daemonem sibi non terribilem esse dicit, sed ne deos quidem immortales.

Rud. 1063. Utin istic prius dicat? Da. Audi, loquere tu. Gr. Alienon prius
quam tuo dabis orationem? Tr. Ut nequitur conprimi

cum Daemones videns Trachalionem et Gripum inter se litigantes illum iubeat loqui hic dicit: „alienon prius“. Vox obiecto contraria „tuo“ in alterius demum versus initio subsequitur; obiectum „alieno“ se applicat ad „istic“ „tu“. Etiam pronomina „istic“ „tuo“ in initio versuum collocata contraria sunt.

Trin. 34. nimioque hic pluris pauciorum gratiam
faciunt pars hominum quam id quod prosint pluribus

notiones contrariae, „pluris pauciorum gratiam-id quod prosint pluribus“, cum sint longiores, in fine versuum collocatae sunt.

Altero versu est verbum temp. cum infinitivo coniunctum:

As. 153. Unum quodque istorum verbum nummis Philippis aureis
non potest auferre hinc a me si quis emptor venerit

verba sane levia gravibus nummis Philippis opponuntur.

Ep. 476. quas tu mihi tenebras trudis? quin tu fidicinam
produci intus iubes? P. Haec ergo est fidicina

militi stupefacto falsa fidicina tenebrae sunt, quibus fidicinam atque eam veram opponit.

Mil. 319. Quam ob rem iubeam? P. Philocomasium eccam domi, quam in proxumo
vidisse aibas te osculantem atque amplexantem cum altero

notiones contrariae „Philocomasium eccam domi-quam in proxumo“ a Palaestrione, qui Sceledrum decipere vult, ne miles puellam punire possit, ita pronuntiantur, ut altera alteram subsequatur.

Mil. 559. si ego me sciente paterer vicino meo
eam fieri apud me tam insignite iniuriam

Periphanes se militi iniuriam facere negans omnino non id fieri posse disserit, cum „me-vicino meo“ coniungat.

Demonstravimus obiectum in priore versu positum seiunctum esse a verbo temp. aut quod sententia secundaria aut notiones cum obiecto cohaerentes sequebantur aut quod quasi alliciebatur a notionibus compluribus aut ab una notione prioris versus, quae una notio saepe contraria erat obiecto, quibus exemplis fere omnibus secundum certum poetae consilium complura verba temp. altero in versu inerant sive cohaerebant sententia, sive secundum ea, quae in primo quaestionis nostrae capite demonstrata sunt. Nunc vero nobis in animo est exempla superioribus similia conferre, in quibus vox altera alteram petit ita, ut obiectum natura a verbo temporali pendens coniungatur cum aliqua voce quae in animo eius, qui loquitur magis cum obiecto conectitur quam verbum temp. Alias quoque in Plauti versibus notiones natura cohaerentes inter se fugere, ut alienas secundum grammaticos, propinquas sensu petant, nemo ignorat. Ut res magis perspiciatur, nonnulla exempla afferenda videntur, quae non ad quaestionem meam ipsam pertinent, ubi poeta adverbia arte cum verbis t. conexa ab his diiungit et ad eas notiones adiungit, quibus locus ubi aliquid fit aut factum est aut fiet indicatur: Amph. 91. in proscaenio hic | invocarunt, Pers. 788. a hic in via | tractatam, Mil. 488. hic volo ante ostium et ianuam | accipere, Rud. 613. hic in Veneris fano meae viciniae | clamoris oritur, Amph. 467. hinc a foribus | amovisse, Men. 247. hinc domum | redimus, Bacch. 389. Ex Epheso huc | misi, Men. 380. huc in hanc urbem | tetulit.

Cum igitur Plautum alias quoque simili lege in collocandis vocibus uti viderimus, ad obiectum redeamus. Id cum adverbiis quibus locus significatur his locis in priore versu coniunctum est.

Pers. 142. atque nisi gnatam tecum huc iam quantum potest
adducis, exigam hercle ego te ex hac decuria

Toxilo notio „huc iam quantum potest“ gravior est quam „adducis“.

Capt. 456. servate istum sultis intus, servi, ne quoquam pedem
ecferat sine custodela. iam ego apparebo domi

obiectum „pedem“ cum „quoquam“ adverbio coniunctum ad notiones antecedentes optime se applicat. De Cas. 521. servas illas domo | certumst omnis mittere iam supra diximus. Hoc loco Alcesimo seni loquenti in animo sunt servi ancillaeque domo exeuntes, quare obiectum cum „domo“ coniungitur.

Iam sequuntur nonnulli loci, in quibus obiectum additum est notioni, quae ad „unde“ respondet.

Aul. 390. Aulam maiorem, si pote, ex vicinia
pete: haec est parva, capere non quit. Eucl. Ei mihi.

versibus antecedentibus Euclio ipse secum collocutus subito videt aedes apertas esse atque audit strepitum quo maxime perterritus exclamat: „num ego compilor?“ ad quod nullo intervallo intermisso vox aliqua respondet: „aulam maiorem“, quae vox maximum Euclioni terrorem inicit. Ad obiectum brevis sententia secundaria adiuncta est. Congrio res, quibus ad cenam opus est, quaerens ac spectans aulam maiorem ex vicinia peti vult ac vocabula „aulam“ atque „ex vicinia“ arte mente sua coniungit.

Bacch. 389. ex Epheso huc ad Pistoclerum meum sodalem litteras
misi, amicam ut mi inveniret Bacchidem. illum intellego

priore versu audimus unde litterae ad aliquem scriptae sint.

Men. 531. Hoc est quod olim clanculum ex armario
te surrupuisse aiebas uxori tuae

pronomen „quod“ cum insequentibus notionibus significat, quid quomodo unde surruptum sit.

Ps. 412. ex hoc sepulcro vetere viginti minas
effodiam ego hodie quas dem erili filio

versibus ridicule dictis Pseudolus confisus se argentum nancturum esse Simonem senem subito conspiciens ea verba loquitur, cum in animo arte conexa sint notiones, quae locum et rem significant.

Truc. 539. etiam num mali pendit addit purpuram. ex Arabia tibi
attuli tus, Ponto amomum. tene tibi voluptas mea

Locus Amph. 978. fac Amphitruonem ab aedibus | ut abigas iam supra explicatus est.

Iam sequuntur ea exempla, in quibus obiectum cum ablativo casu, qui a praepositione „in“ pendet, coniunctum est:

Capt. 72. at ego aio recte. nam scortum in convivio
sibi amator, talos quom iacit, scortum invocat

quamquam notiones „scortum-in convivio“ facile quidem coniungi posse putamus, quod in fabulis Plautinis iuvenes et senes cum meretricibus in conviviis convenire consuevisse videmus, tamen „scortum“ hoc loco magis cum verbo t. conexum esse mihi persuasum est, qua re ea vox in altero versu iterum auditur. Leo in editione ad hunc locum dicit: »ut lusum auribus ingerat, scortum repetit, ἐν ἤθει, invocationem imitans ut illa „ad arma cessantes ad arma concitet, mater clamantem“ et similia«; praeterea confer Brix-Niemeyer.

Merc. 3. non ego item facio ut alios in comoediis
vi vidi amoris facere, qui aut nocti aut die

„alios in comoediis“ coniuncta sunt.

Mil. 25. ubi tu es? Art. Eccum. edepol vel elephanto in India
quo pacto ei pugno praefregisti bracchium

cum ex Alexandri expeditione India in omnium ore esset eiusque terrae „admiranda“, sine offensione „elephanto in India‘, conexa sunt.

Mil. 156. Ni hercle diffregeritis talos posthac quemque in tegulis
videritis alienum, ego vostra faciam latera lorea

„quemque in tegulis“ in Periplectomeni animo confunditur. In pg. 38. iam explicati sunt Mil. 319. quam in proximo | vidisse aibas te ubi praeterea ad „in proximo“ accedit „domi“, quae quidem vox illi contraria est. Ambae autem voces gravissimae sunt in Palaestrionis animo.

Mil. 413. (sept. i.) quom me in locis Neptuniis templisque turbulentis
servavit, saevis fluctibus ubi sum adflictata multum

„me in locis Neptuniis“ conexa sunt.

Poen. 697. in lecto lepide strato lepidam mulierem
complexum contrectare. Coll. Is, leno, viam

versus, ad quos adiungo 696. „in lepido loco“ multis L-litteris certe figuratum sermonem habent.

A praepositione „in“ accusativus pendet:

Most. 470. Quia septem menses sunt, quom in hasce aedis pedem
nemo intro tetulit, semel ut emigravimus

ad hunc locum conf. Capt. 456., qui pg. 58. explicatus est. Praepositio „ad“ invenitur:

Bacch. 176. Mnesilochi Pistoclerum, quem ad epistulam
Mnesilochus misit super amica Bacchide

Men. 563. pallam ad phrygionem cum corona ebrius
ferebat, hodie tibi quam surrupuit domo

non solum explicatur, quo Menaechmus pallam tulerit, sed etiam quo id habitu fecerit.

De Most. 352. ita mali, maeroris montem maximum ad portum modo
conspicatus sum

iam pg. 46. disputatum est: Tranio magnopere perturbatus non solum quid viderit sed etiam quando id factum sit uno versu indicat.

Trin. 817. eumque huc ad adulescentem meditatum probe
mittam. Call. Eo igitur intro ad officium meum

„Apud“ invenitur:

Bacch. 47. Ubi nunc is homost? B. Iam hic credo aderit. sed hoc idem apud nos rectius
poteris agere; atque is dum veniat, sedens ibi opperibere

praeterea modus significatur.

„Ante“ invenitur: Ep. 344. (sept. i.)

mihi cesso, cum sto. sed quid hoc? ante aedis duo sodales
erum et Chaeribulum, conspicor. quid hic agitis? accipe hoc sis

verbum t. paene supervacaneum est, sed ad duas voces appositas in altero versu necessario se applicat.

Iam affero ea exempla, in quibus obiectum cum notione a praepositione pendente, qua non locus exprimitur conexum est.

Men. 370. fuit unquam aut nunc est negoti? E. Quia pol te unum ex omnibus
Venus me voluit magnificare, neque id haud immerito tuo.

„te unum ex omnibus“ coniuncta sunt.

Stich. 421. nunc hunc diem unum ex illis multis miseriis
volo me eleutheria capere advenientem domum.

„In“ cum ablativo casu est:

Rud. 1345. Si quid fraudassis, dic ut te in quaestu tuo
Venus eradicet, caput atque aetatem tuam

„te“ cum „in quaestu tuo“ conexum pronuntiatur voce quidem, qua summa illorum hominum contemptio expressa est.

„A Ab“ invenitur:

Curc. 270. Hoc animum advorte: pacem ab Aesculapio
petas, ne forte tibi evenat magnum malum

„pacem ab Aesculapio“ conexa sunt.

Men. 200. surrupui hodie. meo quidem animo ab Hippolyta subcingulum
Hercules haud aeque magno umquam abstulit periculo

„ab Hippolyta subcingulum“

„Sine“:

Poen. 163. locare. Mil. Vin tu illam hodie sine [damno et] dispendio
tuo tuam libertam facere? A. Cupio, Milphio.

obiectum forma „vin“ satis excusatur. „illam“ atque „sine dispendio“ quasi contraria sunt, cum omnis adulescens sciret, quanti meretrices venirent. Hoc loco etiam tempus expressum est.

„De“

Cas. 372. Dicam enim, mea mulsa: de istac Casina huic nostro vilico
gratiam facias. Cl. At pol ego neque facio neque censeo

„Casina-vilico“ coniunguntur secundum ea, quae Lysidamus senex cupit.

„Cum“:

Cist. 532. postremo, quando aequa lege pauperi cum divite
non licet, perdam operam potius quam carebo filia

„pauperi cum divite“ voces contrariae sunt.

Poen. 168. totum lenonem cum tota familia
dabo hodie dono. A. Qui id facturu's? Mil. Iam scies.

Ps. 756. Quid nunc igitur stamus? Ps. Hominem cum ornamentis omnibus
exornatum adducite ad me iam ad trapezitam Aeschinum

Rud. 724. Non licet: est lex apud nos — L. Mihi cum vestris legibus
nil quicquamst commerci. equidem istas iam ambas educam foras

Trin. 1122. nunc mi is propere conveniundust, ut quae cum eius filio
egi, ei rei fundus pater sit potior. eo quantum potest

„Pro“:

Aul. 541. Pro re nitorem et gloriam pro copia
qui habent, meminerunt sese unde oriundi sient.

prior versus constat ex duobus colis, ita, ut nomina ex diverso collocata sint.

Iam veniamus ad eos locos, in quibus obiectum cum notione, qua tempus indicatur, conexum est.

„Hodie“ invenitur:

Ep. 157. Quid hic nunc agimus? St. Eamus intro huc ad te, ut hunc hodie diem
luculentum habeamus. — Ep. Ite intro, ego de re argentaria

Truc. 176. i intro. haud alienus tu quidem es; nam ecastor neminem hodie
mage amat corde atque animo suo, si quidem habes fundum atque aedis

obiectum „neminem“ particulam affirmativam sequens vi effertur; „hodie“ vox, qua hoc loco inconstantia meretricum significatur, ridicule ad obiectum adiuncta est.

„Nudius sextus“:

Trin. 727. ad forum ibo: nudius sextus quoi talentum mutuom
dedi, roposcam, ut habeam, mecum quod feram, viaticum

„Heri“:

Amph. 303. iam pridem videtur factum, heri quod homines quattuor
in soporem collocastis nudos. S. Formido male.

„Continuo“:

Ba. 261. continuo antiquom hospitem nostrum sibi
Mnesilochus advocavit. Pelagonem senem

„Denique“ ad obiectum adiungi poeta voluit:

Merc. 242. instare factum simia, atque hoc denique
respondet, ni properem illam ab sese abducere

Iam dixi de Amph. 714. pg. 46.

Ecastor equidem te certo heri advenientem ilico
et salutavi et valuissesne usque exquisivi simul

„Interea“ cum obiecto conexum est:

Amph. 1098. quid fit deinde? Br. Dum haec aguntur, interea uxorem tuam
neque gementem neque plorantem nostrum quisquam audivimus

„interea“ arte ad „dum haec aguntur“ se applicat, in initio versus est adverbium „deinde“.

Men. 473. Pro di immortales, quoi homini unquam uno die
boni dedistis plus, qui minus speraverit

„homini uno die“ coniuncta sunt.

Poen. 472. quom sexaginta milia hominum uno die
volaticorum manibus occidi meis

notione, qua tempus significatur, cum numero hominum occisorum coniuncta contrarium fit.

Iam affero eos locos, in quibus obiectum cum voce, qua modus exprimitur, coniunctum est. In pg. 21. iam disputavi de Mil. 1331. animo male | factumst, quo loco „animo male“ notiones artissime cohaerent.

Aul. 114. omnes videntur scire et me benignius
omnes salutant quam salutabant prius

iam ex eis, quae antecedunt, „benignius" ad „me" eleganter se applicat; versus similiter desinunt.

Mil. 576. Dedit hic mihi verba. quam benigne gratiam
fecit, ne iratus esset. scio quam rem gerat

vocabula „benigne gratiam" sententia quidem similes facile coniunguntur.

Merc. 329. nunc adeo ibo illuc. sed optume gnatum meum
video eccum. opperiar hominem. hoc nunc mihi viso opust

Demipho cum gnatum suum conspiciat, statim exclamat: „optume gnatum meum".

Truc. 898. Merito ecastor tibi succenset. Ph. Egon, atque isti etiam parum
male volo. Str. Ego, mea voluptas, si quid peccavi prius

adverbiis „merito-parum" versus circumscribitur.

Aul. 69 queo comminisci; ita me miseram ad hunc modum
decies die uno saepe extrudit ex aedibus

Cas. 115. Scies hoc ita esse. Ch. Vae tibi. Ol. Quot te modis
si vivo, habebo in nuptiis miserum meis

„te" bene respondet ad Chalini mala minantis dicta.

Poen. 794. nunc ibo, amicos consulam, quo me modo
suspendere aequom censeant potissimum

ad hunc locum vide, quae Kämpf pg. 33. statuit.

Rud. 83. Pro di immortales, tempestatem cuius modi
Neptunus nobis nocte hac misit proxuma.

Ad haec exempla adiungere mihi licet

Capt. 442. haec per dexteram tuam te dextera retinens manu
opsecro, infidelior mihi ne fuas quam ego sum tibi.

Iam restant:

Ep. 429. os sublitum esset, itaque me albis dentibus
meus derideret filius meritissumo

nescio an vox „os" quasi allexerit vocem „dentibus". Verisimilius „me albis dentibus" conexa esse dico, cum Periphanes iam conspiciat filium se irredentem atque eludentem atque id albis dentibus. Praeterea: Amph. 486. Bacch. 521. 907. Mil. 253. 262. 679. 738. Poen. 443. 1320.

Exemplis ubi obiectum cum vocibus, quibus locus aut

tempus aut modus aut simile significatur, conexum esse vidimus allatis iam ea sequuntur, in quibus duo obiecta alterum accusativi alterum dativi casus coniuncta sunt. Verbum t. enuntiatum secundarium sequitur:

Ba. 997. 'Pater, ducentos Philippos quaeso Chrysalo
da, si esse salvom vis me aut vitalem tibi.'

Id quod datur aut dabitur aut datum est cum persona eius, cui datur, coniungitur, ita, ut hic illic aliud verbum inveniatur:

Capt. 494. is diem dicam, irrogabo multam, ut mihi cenas decem
meo arbitratu dent, cum cara annona sit. sic egero.

Men. 128. ubi sunt amatores mariti? dona quid cessant mihi
conferre omnes congratulantes, quia pugnavi fortiter?

Merc. 923. Mater irata est patri vehementer, quia scortum sibi
ob oculos adduxerit in aedis, dum ruri ipsa abest.

Poen. 415. Trecentos Philippos Collybisco vilico
dedi dudum, prius quam me evocavisti foras.

Men. 392. Merc. 277. Mil. 1147. Poen. 558.

Altero in versu complura verba t. sunt:

Asin. 333. meministin asinos Arcadicos mercatori Pellaeo
nostrum vendere atriensem? L. Memini. quid tum postea?

Ep. 406. edepol ne istam temperi gnato tuo
sumus praemercati. P. Quid iam? A. Quia dixit mihi

Pers. 117. tecumque oravi, ut nummos sescentos mihi
dares utendos mutuos. S. Memini et scio.

Aul. 774. Men. 1035. Rud. 1367.

Unum tantum verbum t. in altero versu est:

Capt. 981. Falsa memorat. St. Aut ego aut tu. nam tibi quadrimulum
tuos pater peculiarem parvolo puero dedit.

Restant

Cas. 410. Tam huic loqui licere oportet quam isti. O. Cur omen mihi
vituperat? L. Malo, Chaline, tibi cavendum censeo

Pers. 433. Mirum quin tibi ego crederem, ut idem mihi
faceres quod partim faciunt argentarii.

Transeamus nunc ad ea exempla, quae non omnino structura prioris versus excusantur, sed in quibus obiectum dispestum tali excusatione caret. In illis versibus, quamquam causa disiungendi non semper clare intellegetur, tamen considerandum est poetae, qui quidem lingua fuit abundantissimus, copiam magnam verborum per versus distribuendam fuisse, eas autem

notiones praecedere, quae summam in animis mentibusque loquentium vim obtinent, quae animos eorum qui audiunt maxime occupare iisque insidere volt. Ita saepe nomen, quod hominem significat, in prioris versus fine invenitur. Eorum locorum primum eos afferam, ubi in altero versu verbum t. cum infinitivo coniunctum est.

Aul. 702. ego solus supero. nam istos reges ceteros
memorare nolo, hominum mendicabula.

Capt. 764. sequere hac. reducam te ubi fuisti. neminis
miserere certum est, quia mei miseret neminem.

„neminis" obiectum esse puto; id graviter atque acerbe pronuntiatur; in fine versuum audiuntur formae „neminis neminem".

Cas. 262. Qui, malum, homini scutigerulo dare lubet? Cl. Quia enim filio
nos oportet opitulari unico. L. At quamquam unicust

Merc. 410. atque, ut nunc sunt maledicentes homines, uxori meae
mihique obiectent lenocinium facere. nam quid eost opus?

obiectum, quod patitur, adiungitur ad appellationem illorum, a quibus patitur.

Mil. 528. Pro di immortales, similiorem mulierem
magisque eandem, ut pote quae non sit eadem, non reor
deos facere posse

St. 699. Quid istuc est provinciai? St. Utrum Fontine an Libero
imperium te inhibere mavis? S. Nimio liquido Libero.

in utriusque versus fine est „Libero".

In altero versu sunt complura verba temp.:

Men. 1090. quam hic tui est, tuque huius autem; post eandem
patriam ac patrem
memorat. meliust nos adire atque hunc percontarier.

obiecta ab una voce derivata sunt .

Merc. 210. neque ille credet, neque credibile est forma eximia mulierem
eam me emisse ancillam matri . Ac. Non taces, stultissime?

Mil. 1427. Causam haud dico. Pe. Eamus intro, Cario. – Py.
Servos meos
eccos video. Philocomasium iam profecta est? dic mihi.

stultus miles deceptus ac repulsus insuper etiam fustibus petitus atque verberatus tandem, cum ii, qui eum laeserunt, abierunt, cruciatu liberatus exclamat: „servos meos".

Ps. 395. quid nunc acturu's, postquam erili filio
largitu's dictis dapsilis? ubi sunt ea?

Pseudolo secum ipso colloquenti maxime in animo est filius eri, quem quomodo adiuvet, adhuc nescit.

Ps. 697. Pseudolus mi ita imperavit, ut aliquem hominem strenuom
benevolentem adducerem ad se. Ch. Servas imperium probe.

Calidoro Pseudoli mandatum exsequenti similiter in animo est opus esse homine strenuo, quae igitur vox ante verbum t. in prioris versus fine auditur.

Trin. 618. utinam te rediisse salvom videam, ut inimicos tuos
ulciscare, ut mihi, ut erga te fui et sum, referas gratiam

Stasimus, cum rem eri distrahi miseretur, optat, ut ille redeat, tum statim vocem in animo gravissimam inimicorum pronuntiat. Addo Aul. 696. Cas. 788. Merc. 741. Mil. 926. Poen. 194. 1278. 1372. Trin. 1151. Truc. 405. Restat Ep. 312.

Cum eadem notio semel atque iterum eodem versus loco audiatur, talem notionis collocationem certo poetae consilio effectam esse nemo negabit. „Viginti minas" est crebro in versus fine, ita, ut aures feriat, in altero autem versu sequitur omnibus fere exemplis forma verbi dandi. As. 915. Capt. 353. 380. Ps. 404. 484. 1077. Vid. 83.

Poeta his quoque locis obiecto insignem versus locum dedit, quod gravissimum est, cum pars sit exclamationis aut sententiae, qua quis monet, ut aliquid fiat, aut qua quis petit, ut sibi venia detur aut aliquis aliquid interrogat aut similiter. Eorum autem locorum primum eos affero, in quibus verbum t. enuntiatum secundarium sequitur.

Capt. 452. tu intro abi. T. Bene ambulato. P. Bene vale. H.
Edepol rem meam
constabilivi, quom illos emi de praeda a quaestoribus.

Hegio sperans se tandem filium ex servitute recuperaturum esse exclamat: „edepol rem meam".

Merc. 578. Quid si igitur unum faciam hoc? si censes, coquom
aliquem arripiamus, prandium qui percoquat.

Lysimachus Demiphonem monet, ne cum sit ieiunus amet, tum hic respondet: „coquom"; in fine alterius versus auditur: „percoquat".

Merc. 582. Quid stamus? quin ergo imus atque obsonium
curamus, pulchre ut simus? L. Equidem te sequor.

diverbio acriter dicto Demipho finem facit considerandi, nam

imperat, ut eant atque obsonium curent, in quo vocabulo summa sententiae inest.

Pers. 195. (sept. tr. + oct. tr.) Abi modo. P. Ego laudabis faxo.
T. Sed has tabellas, Paegnium,
ipsi Lemniseleni fac des et quae iussi nuntiato

Toxilus puerum abeuntem monet: „sed has tabellas". Addo Bacch. 327. Capt. 672.

In altero versu complura verba sunt:

Ep. 378. Nimis doctus ille est ad male faciendum. Str. Me equidem certo
servavit consiliis suis. Ch. Abeamus intro hinc ad me.

Stratippocli in animo ita notiones coniunguntur: sit Epidicus nimis doctus ad male faciendum, „me quidem" sq.

Merc. 896. Faciam. Ch. Longum istuc amantist. Eut. Etiam metuis? omnia
commonstrabo. amicior mihi nullus vivit atque is est

Charinus obiecto a verbo t. disiuncto torquetur ac simul timor eius lenitur.

Mil. 542. perque tua genua. P. Quid opsecras me? Sc. Inscitiae
meae et stultitiae ignoscas. nunc demum scio

Sceledrus, cum ei persuasum sit, se errasse et falso puellam insimulasse metuit, ne vapulet, quare, ut id avertat, orat et obsecrat senem, ut sibi ignoscat, cum „inscitia" permotus peccaverit.

Mil. 1296. nam ego hanc acterso Philocomasium. sed fores
pultabo. heus, equis hic est? P. Adulescens, quid est?

Pleusicles appropinquat foribus et gestu quodam ea verba loquitur.

Poen. 1047. Antidamae gnatum me esse. Han. Si itast, tesseram
conferre si vis hospitalem, eccam attuli

ne omnino Agorastocles erret, Hanno quo optimo modo error vitetur significaturus loquitur: „tesseram" sq.

St. 669. volo eluamus hodie, peregrina omnia
relinque, Athenas nunc colamus. sequere me.

„peregrina" est in fine versus ante verbum t., quod sequitur notio „Athenas", quae quidem notio contrarie refertur ad illud „peregrina"; item contraria sunt verba „relinque colamus".

Trin. 653. ut tibi sit qui te corrigere possis, ne omnino inopiam
cives obiectare possint tibi, quos tu inimicos habes

Lysiteles Lesbonicum admonet, ut virtutis viam ingrediatur; notionem, quae acerrime Lesbonici aures feriat, „inopiam" dico, atque eam „omnino" adverbio auctam in versus fine collocat. Addo: Pers. 692. 708. Rud. 1139. St. 438. Restat Poen. 802.

Eorum locorum, quos supra tractavi, nonnulli supersunt, quos conexui, quod in omnibus illis exemplis obiectum in enuntiato secundario est, ita, ut particula atque obiectum in priore versu collocata sint, cetera in altero versu sequantur. Verbum t. a quo id enuntiatum secundarium pendet, est in priore versu; obiectum igitur facile ad id adiungitur, quo ei versus minime offendunt.

Men. 990. Per ego vobis deos atque homines dico, ut imperium meum
sapienter habeatis curae, quae imperavi atque impero

in fine versuum audiuntur formae „imperium-imperavi atque impero". Similiter: Bacch. 606. Mil. 971. Poen. 1366. Stich. 193. Vid. XII. XIII.

Cas. 534. nunc adeo nequaquam arcessam, ne illis ignavissumis
liberi loci potestas sit, vetulis vervecibus.

Amph. 745. Aul. 755. Men. 701. Trin. 848.

Reliquum est, ut eos quoque locos commemorem, in quibus obiectum dativi casus pronomen personale est, id quod plerumque ea de causa factum esse putamus, quod voces metri iambici „mihi" aut „tibi" aut „sibi" versum bene explent.

II. Subiectum antecedit, praedicatum in altero versu sequitur.

Saepe subiectum, quod est pronomen personale, in priore versu est, verbum t. in altero demum versu, cuius generis satis magnam copiam inveni.[1]) De ea collocatione, cum alii tum Appuhnius[2]) iam quaesiverunt atque hic hanc sententiam professus est: pronomen idcirco additum esse putaverim, ut statim qui esset, de quo ageretur, audientes scirent.[3]) Quamvis Appuhnius recte iudicaverit de certo poetae consilio quaerens

[1]) v. Kämpf pg. 46. — [2]) v. Appuhn pg. 41.
[3]) v. Men. 746. aut similia: „illum || meum patrem" de quibus locis in editione Brixii et Niemeyerii ad Mil. 122. est: „ille steht zur vorläufigen Anmeldung einer nachträglich bestimmter bezeichneten Person."

tamen nos omnes locos perlustrare animum induximus, ut cognosceremus, utrum revera poeta certis legibus uteretur in pronomine subiecto in priore versu collocato necne.

Iam quaesitum est de notionibus, quae notiones ad eas pertinentes, a quibus pendent, quasi fugerunt, ut ad alias, quae animo prius cogitatae sunt, se applicarent.[1])

Hic primum occurrunt pronomina personalia subiecta, quae cum vocibus, quae alteras personas significant conexa sunt. Hae sunt aut nomina propria aut alia substantiva aut ipsa quoque pronomina.

Nomina propria cum pronomine personali subiecto coniuncta sunt: As. 96. tu servom Sauream, Capt. 571. tun te Philocratem, Men. 509. ego Erotio, Most. 910. ego et Philolaches (hic locus omnino non offendit), Poen. 591. vos lenonem Lycum, Ps. 1197. tu Pseudolo, Rud. 1343. ego huic Gripo.

Substantiva alia, quae personas significant, cum pronomine personali subiecto conexa sunt: As. 477. tun libero homini (tu cum emphasi pronuntiatur), 884. egon ut non domo uxori meae (contrarie „ego uxori" referuntur), Bacch. 489. egon ut illam mulierem, Cist. 86. sed tu enumquam cum quiquam viro, 570. ego amicae meae, 602. quam vos igitur filiam, Curc. 494. egon ab lenone, 613. quam tu virginem, Ep. 476. tu fidicinam, Men. 1117. vos tum patri, Mil. 52. tu quingentos simul, Most. 427. ego hodie vivo praesenti hic seni, 607. ego taetriorem beluam, Pers. 157. tu gnatam tuam, Poen. 381. ego illi mastigiae, 452. ego hodie infelix dis meis iratissumis, Ps. 771. ego omnibus, 878. tu amicis hodie an inimicis tuis, Rud. 842. ego quasi canem, Trin. 25. ego amicum hodie meum, 215. ego de eorum verbis famigeratorem, Truc. 283. quas tu mulieres, 658. ego istos mundulos.

[1]) Iam diu viri docti, qui de animi motibus quaerunt hoc statuerunt cum alii tum Wundt in libro qu. i. Völkerpsychologie, tom. II. fasc. II. pg. 359.: . . . . . wenn man sich gegenwärtig hält, dass die Wortvorstellungen nicht erst in dem Augenblicke in das Bewusstsein treten, wo sie sich in den Satz eingliedern, sondern dass sie von Anfang an in der vorausgehenden Gesamtvorstellung als dunkler bewusste psychische Motive existieren, die erregend auf die Aufmerksamkeit einwirken und demgemäss in einer Reihenfolge, die dem Grade dieser Wirkung entspricht, successiv appercipiert werden.

Pronomina,[1]) quibus personae significantur, cum pronomine personali subiecto coniuncta sunt: Amph. 285. ego te, 470. ego illis, 556. ego tibi, 682. tu me, 906. cum ea tu, As. 112. tu mihi tua, 524. tu tibi, 817. quam tu, Aul. 671. ego illi, Bacch. 1097. b. ego ei, Capt. 609. ego te, Cas. 151. ego illum, 478. ego ei, Cist. 40. ego hanc, 53. ego te, Curc. 102. tu mihi, 255. tu interea huic, Ep. 131. tute ad me, 575. ego hanc quae, Men. 120. ego tibi, 466. ego tibi, 500. ego te, 511. ego te, 607. tu mihi, 632. ego te, 855. ego huius, 1133. quemque ego, Mil. 147. ei nos, Pers. 30. tu tibi, 733. ego hodie tibi, Poen. 131. quas tu, 1172. tu istos, Ps. 16. tu me, 447. hunc ego, 927. ego illum, 1274. a. ego qui, Rud. 403. ego quod mihi, 721. ego te, 924. ego nunc mihi, 1008. ego te, 1134. tu mihi, Stich. 3. a. nos eius, 5. quorumque nos, 41. ego te, 104. ego ad vos, Truc. 141. tu te, 413. tu te.

Vox, qua persona significatur, non arte cum pronomine conexa est: Amph. 502. quid istuc est, mi vir, negoti, quod tu, 563. malum quod tibi di danunt, atque ego, 795. me captas quia tute, As. 909. ego pol vivam et tu, Aul. 567. caedundum conduxi ego illum, E. Tum tu, Bacch. 196. egon, ut quod ab illoc, 1102. hoc servom meum atque ego, Capt. 144. ego, postquam gnatus tuos, 574. quem patrem qui servos est, T. Et tu quidem, 1034. nunc vos si vobis, Cist. 587. i tu atque arcesse illam, ego intus, Curc. 23. tu quod te aut genere tuo, Ep. 427. egomet postquam ad illas, Mil. 403. me id iam non vidisse arbitror. P. Ne tu hercle sero, 1176. ubi intro haec abierit, ibi tu, 1192. ille iubebit me ire cum illa ad portum. ego, Poen. 588. Di te perdant vos quidem, Ps. 223. reprehendam ego nisi tu, 316. si isti formidas credere, ego in hoc triduo, 474. mi aps te irato; atque alio tu modo, 690. quia lenonis me esse dixi nunc ego hac epistula, Rud. 369. differt ab illis itaque nos ventisque fluctibusque, 608. in ius vocat med. ibi ego nescio quomodo, 1049. ego vos sed quid vos foras, 1230. aequom videtur tibi ut ego, Stich. 391. Immo venisse eum simitu aiebat ille: ego huc, Trin. 382. ego quando te 843. huic ego die nomen

[1]) De Kämpfii studiis hic summatim tantum commoneo, quod mihi alia quaerenda sunt.

Trinummo faciam: nam ego operam meam, Truc. 654. ille abit, ego propere minas.

Hic illic persona in verbo temporali subaudienda est: Ep. 158. ite intro ego, Mil. 322. quia luscitiosu's P. Verbero, edepol tu quidem, 930. duc intro ego, 1111. abi tu, 1121. ibo tu interim, Pers. 373. dicat ego, Poen. 424. i adduce ego, Rud. 1305. immo edepol una littera plus sum quam medicus. Gr. . . . Tum tu.

Scilicet non offendunt ei versus, in quibus pronomini subiecto vocativus casus se applicat: Aul. 325. tun, trium litterarum homo, 328. tu, Congrio, 333. tu autem Eleusium, 398. tu, Machaerio, Bacch. 832. Cas. 139. Cist. 107. Mil. 494. Most. 15. Rud. 748. 1148. Truc. 899.

Item non offendunt ei versus in quibus pronomen subiectum explicatur sententia secundaria: Aul. 401. tu, si sapis, Capt. 133. ego, qui tuo maerore maceror, Men. 256. ne tu hercle, opinor, nisi domum, 1066. tu, quantum potest, Trin. 474. ego etsi votet.

Nonnunquam pronomen possessivum pronomini subiecto se applicat: Amph. 366. ne tu istic hodie malo tuo, As. 896. tu istuc cum malo magno tuo, Curc. 579. ego tua magnifica verba, Mil. 799. ego recte meis, 865. tu meam partem, Ps. 578. ego in meo pectore, Vid. 69. tu hodie miserias multas tuas.

Iam sequuntur nonnulla exempla, in quibus pronomen subiectum arte cum obiecto conexum est: Aul. 705. ego aurum, Cist. 743. ego rem meam, Curc. 280. dum ego hic officium meum Mil. 451. Most. 532. Trin. 1055.

Hic illic pronomen subiectum conexum est cum vocabulis, quibus locus aut tempus aut modus significatur.: Amph. 1078. tu foras, As. 429. 519. Aul. 56. Men. 247. 307. Mil. 807. Bacch. 170. quam ego biennio, Curc. 240. Merc. 227. Poen. 497. Ps. 9. 524. Rud. 596. Trin. 301. Capt. 960. Cist. 294. haec tu pervorsario, Ep. 85. 146. Men. 199. Mil. 882. Ps. 474. Stich. 353.

Restant Cas. 992. nam tu maxumo, Mil. 565. figuratum sermonem habet, quod in insequentibus versibus sicut in 565. „egon" ita in 566. „quod egomet" 567. „me egomet" post caesuram semiquinariam senariorum audiuntur, Poen. 699. ubi tu Leucadio, Trin. 520. „ne tu illunc agrum", ubi „illunc agrum"

subiectum acc. c. inf. qu. d. est. Truc. 608. tun tantilli doni causa. Ex canticis sunt: Bacch. 1108. Cas. 837. 917. Ps. 209. Truc. 728. lacunosus est.

Cum pronomina personalia subiecta a suis verbis temporalibus dispesta accuratius perlustraverimus, apertum esse putaverimus, non sine consilio subiecta a poeta seiuncta esse a verbis prioreque in versu collocata esse; illud autem consilium nobis clarius factum est, cum in via, quam Leo ingressus est, porro profecti simus. Appuhnius omnia exempla summatim complexus est, nos vidimus pronomen quasi fugisse a verbo temporali ut ad alias voces se applicaret, quibuscum is, qui loquitur, pronomen conectit, quo ubique id efficit poeta, quod huius aetatis scriptores „plastische Wirkung" appellare consueverunt.

Pauca disserere mihi licet de pronomine relativo subiecto. Prescott pg. 254. dicit: the relative adjective has an inherent separability. Norden[1]) et Altenburg[2]) idem dicunt pronomen relativum cum substantivo coniunctum spectantes. Solum quoque relativum saepe a verbo t. dirimi apud Plautum videmus, id quod ea de causa nihil mirum habere puto, quod pronomen relativum in enuntiati initio esse solet. Paucos locos ex Menaechmis affero: 302. qui tibi saepissume || cyathisso, 305. qui ante hunc diem || vidi, 369. qui huc in hanc urbem pedem || intro tetuli. Cum pronomina relativa uno nomine complexi simus, iam videamus cetera. Primum affero eos liocos, in quibus subiectum enuntiatum secundarium sequitur (vide sis quae de obiecto pg. 45. dixi):

Aul. 494. ego faxim muli, pretio qui superant equos
sint viliores Gallicis cantheriis
Ps. 401. sed quasi poeta, tabulas cum cepit sibi
quaerit quod nusquamst gentium, reperit tamen

subiectum ad „cepit" pertinere putaveris, sicut in omnibus fere eius generis exemplis ad verbum t. enuntiati secundarii. As. 539./40. Aul. 107. Capt. 1011. Cist. 162. Curc. 61. Mil. 870. Pers. 653. Ps. 490. Trin. 550.

Deinceps dicam de eis locis, in quibus subiectum cum attributis coniunctum est:

[1]) Antike Kunstprosa pg. 181. adn. 1. — [2]) pg. 530.

Men. 261. in urbe hac habitant; tum meretrices mulieres
nusquam perhibentur blandiores gentium

subiectum „meretrices mulieres" auditur in fine orationis, qua Messenio Menaechmum monet, ut homines in Epidauro periculosos plurimos caveat, qui sint „voluptarii potatores sycophantae palpatores" denique „meretrices", quae sunt periculosissimae. Recte igitur subiectum hoc loco collocatum est. Bacch. 453. Ep. 35. 213. 675. Merc. 44. 314. Mil. 14. 1434. Poen. 803.

Cum his exemplis subiectum aut enuntiatis secundariis aut attributis explicatum a verbo temporali diremptum esse intellexerimus, iam videamus, quibus aliis de causis subiectum dispestum sit. Crebro autem sicut obiectum (v. s. pg. 47.) seiunctum est, quod propter rationem structurae prioris versus optime hoc in versu locum suum habet. Ea quae praecedunt, efficiunt, ut subiectum a verbo temporali dirimatur:

Aul. 179. itaque abibam invitus; nam neque quisquam curialium
venit neque magister quem dividere argentum oportuit

Euclio praesagibat se frustra ire: „abibam invitus"; recte praesagivit: „nam neque quisquam curialium". Alterum subiectum in altero versu collocatum est, quod ei sententia relativa se applicat.

Cas. 382. Quod bonum atque fortunatum sit mihi. — Ol. Magnum malum
tibi quidem edepol credo eveniet; novi pietatem tuam

Olympio Chalino, qui bonum eventum sibi optat, nullo intervallo intermisso respondet contrarium ei optans „magnum malum".

Merc. 1007. Hercle qui tu recte dicis: eadem brevior fabula
erit. eamus. E. Hic est intus filius apud nos tuos

Demipho Lysimacho respondet hunc recte dixisse, tum addit ridicule novam causam intro eundi: „brevior fabula".

Merc. 603. Neque apud mortuos neque hic es. Ch. Salvos sum, immortalitas
mihi data est: hic emit illam, pulchre os sublevit patri.

Eutychus ut Charino alacriter atque instanter interroganti respondeat, tergiversatur: „neque apud mortuos neque hic es"; tum Charinus falso id interpretatur, nam se puella empta ad superos elatum esse putat, quare dicit: „immortalitas"; formarum „datast emit sublevit" prima causam affert alterius, altera causam tertiae.

Mil. 974. Quin tu illam iube abs te abire quo lubet: sicut soror
eius huc gemina venit Ephesum et mater, accersuntque eam

Palaestrio militi suadet, ut mulierem dimittat, id quod ab ea facile impetrabit: „sicut soror".

Pers. 465. sed satin estis meditati? S. Tragici et comici
numquam aeque sunt meditati. T. Lepide hercle adiuvas

Sagaristio bene ad formam „meditati" altero quoque in versu auditam, ut confirmet, se partes sibi datas optime gesturum esse respondet: „tragici et comici".

Ps. 7. nunc quoniam id fieri non potest, necessitas
me subigit ut te rogitem. responde mihi

subiectum „necessitas" optime priora sequitur.

Ps. 129./30. St, tace opsecro hercle. Ps. Quid negoti est? Cal. Ostium
lenonis crepuit. Ps. Crura mavellem modo.

certe Calidorus, cum Pseudolum moneat, ut taceat, utitur eo gestu, quo ubique semperque homines utuntur vel usi sunt, eum dico, quo manus porrigitur uno tantum digito erecto, ad quem gestum vox ostii bene hoc in versu respondet.

Ps. 434. quid mirum fecit? quid novom, adulescens homo
si amat, si amicam liberat? Ps. Lepidum senem

solitum vitae cursum in Calidori quoque amore esse, Callipho, ut Simonis iram mitiget, significat verbis: „quid novom adulescens homo".

Rud. 648. Veneris signum sunt amplexae. nunc homo audacissimus
eas deripere volt. eas ambas esse oportet liberas

nefas erat in fano aliquem hominem laedere. Puellae amplexae sunt signum Veneris: „nunc homo audacissimus". Subiecto in priore versu collocato contrarium efficitur.

Trin. 692. quis me improbior perhibeatur esse? haec famigeratio
te honestet, me conlutulentet, si sine dote duxeris

subiectum „famigeratio" ea, quae praecedunt, complectitur; verba t. alterius versus contrarie referuntur.

Trin. 926. Ne male loquere apsenti amico. S. Quid ergo ille ignavissumus
mihi latitabat? Ch. Si appellasses, respondisset, nomine

cum Charmides sycophantam vetet amico absenti male loqui hic amicum ignavum nominat, quod inter labra ac dentes latuerit, i. e. causam maledicendi iustam adfert in eius ignavia positam.

Truc. 499. Vide quis loquitur tam propinque. Ast. Miles, mea Phronesium,
tibi adest Stratophanes. nunc tibi opust, aegram ut te adsimules. Ph. Tace.

ut Plautus consuevit Astaphium facit respondentem eodem versu ad ea, quae Phronesium interrogat, voce personae, quae appropinquat.

Eius generis reliqui sunt ei loci, in quorum altero versu unum verbum est:

Amph. 477. atque insimulabit eam probri; tum meus pater
eam seditionem illi in tranquillum conferet

Mercurius quo modo argumentum, ut ait Plautus, contortiplicatum agatur, exponit atque opponit Amphitruoni suum patrem. Cum dixerit duobus versibus, quid Amphitruo, cuius nomen in initio prioris versus est, facturus sit, sequitur in fine alterius versus: „tum meus pater“.

Capt. 366. meum ut illic redimat filium, mutatio
inter me atque illum ut nostris fiat filiis

si Hegionis filius redemptus erit, „mutatio“ fieri potest.

Merc. 240. mi illud videri mirum, ut una illaec capra
uxoris simiai dotem ambederit

cum his versibus comparemus 238./9., quorum versuum in priore similiter nomen caprae, in altero verbum ambedendi est; his versibus audivimus capram dotem ambedisse, tum sequitur: „mi illud videri mirum, ut una illaec capra“. Subiectum igitur non sine causa dispestum est.

Trin. 30. sed dum illi aegrotant, interim mores mali
quasi herba inrigua succrevere uberrime

„illi“ sunt mores boni, si aegrotant, „interim mores mali“ sq. „illi“ atque „mores mali“ contraria sunt.

In his exemplis tota prioris versus structura erat causa subiectum a verbo dirimendi. Iam sequuntur ea, in quibus una voce efficitur, ut subiectum dirimatur. Ita conexa sunt:

Capt. 96. senis, qui hic habitat, quae aedes lamentariae
mihi sunt, quas quotienscumque conspicio fleo

„habitat aedes“

Cas. 128. gustare quicquam, numquam edepol ieiunium
ieiuniumst aeque atque ego te ruri reddibo.

„gustare ieiunium“

Cas. 276. ego discrucior miser amore, illa autem quasi ob industriam
mi advorsatur. subolet hoc iam uxori quod ego machinor

in priore versu opposita sunt pronomina „ego illa“, in altero voces „mi uxori“ ita, ut „ego mi“ in initio versuum sint „illa uxori“ prope diaeresin.

Item conexa sunt:

Cist. 83. nam mea mater, quia ego nolo me meretricem dicier
obsecutast de ea re, gessit morem morigerae mihi

„mater meretricem“

Curc. 78. Quasi tu lagoenam dicas, ubi vinum Chium
solet esse. Ph. Quid opust verbis? vinosissima est.

„lagoenam vinum Chium“

Ep. 497. neque me quidem emere quisquam ulla pecunia
potuit: plus iam sum libera quinquennium

„me quisquam“

Men. 100. ita est adulescens; ipsus escae maxumae
cerealis cenas dat, ita mensas exstruit

„adulescens ipsus“

Merc. 695. nimium obsonavit. sed coquos, quasi in mari
solet hortator remiges hortarier

„obsonavit coquos“

Mil. 162. quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam
dicat, disperiistis, ni usque ad mortem male mulcassitis

„ille se“

Mil. 431. Sceledre, nos nostri an alieni simus, ne dum quispiam
nos vicinorum imprudentis aliquis immutaverit

„nos nostri alieni quispiam“

Mil. 988. quae anulum istunc attulit quem tibi dedi. P. Edepol haec quidem
bellulast. P. Pithecium haec est prae illa et spinturnicium

„quae haec“

Mil. 1292. mulier profecto natast ex ipsa mora
nam quaevis alia quae morast aeque mora
minor ea videtur quam quae propter mulieremst

„mora mora“

Rud. 644. facta est fitque in Veneris fano; tum sacerdos Veneria
indigne adflictatur. D. Quis homo est tanta confidentia

„in Veneris fano sacerdos Veneria“

Stich. 552. Quid istuc quaeso? an ille quasi ego? A. Is ipse quasi tu. tum senex
ille quasi ego: 'si vis', inquit, 'quattuor sane dato

„tu senex"

Trin. 1143. ferret aps te, quod darem tuae gnatae dotem, ut filius
tuos, quando illi a me darem, esse allatum id aps te crederet

„gnatae filius".

Supra iam, cum de obiecto disputaremus, copiam haud parvam exemplorum attulimus, in quibus obiectum ea de causa dispestum erat, quod ad aliam notionem se applicabat, quacum in animo eius, qui loquebatur, artius quam cum verbo t. coniungebatur. Etiam in hac parte quaestionis nostrae eius generis exempla afferre nobis licet, ac primum quidem ea, in quibus subiectum cum notione, qua locus significatur, coniunctum est. Haec inveni adverbia aut adverbiis similia:

Merc. 901. sed quin ornatum hunc reicio? heus, **aliquis actutum huc foras**
exite illinc, pallium mi ecferte. E. Em, nunc tu mihi places

Most. 957. quartus, quintus, sextus, usque postquam **hinc peregre eius pater**
abiit, numquam hic triduom unum desitum est potarier

dictum est in priore versu, unde sit profectus pater et quo sit profectus.

Truc. 531. is te dono. adduce hoc tu istas. sed istae **reginae domi**
suae fuerunt ambae, earum patriam ego excidi manu

Most. 686. 975. Truc. 708.

Hos inveni versus, in quibus subiectum cum notione, quae a praepositione pendet, coniunctum est:

Amph. 404. nonne hac noctu nostra **navis huc ex portu Persico**
venit, quae me advexit? nonne me huc erus misit meus?

disseritur primo versu unde et quo navis profecta sit, neque obliviscitur Sosia dicere, quando id factum sit.

Capt. 1005. sed **erus** eccum **ante ostium,** et **erus** alter eccum **ex Alide**
rediit. H. Salve, exoptate gnate mi. T. Hem, quid gnate mi?

duo cola inter se respondent: „erus eccum ante ostium-erus alter eccum ex Alide".

Most. 30. quo **nemo adaeque iuventute ex omni Attica**
antehac est habitus parcus nec magis continens

Pers. 541., quibus locis similes sunt Pers. 137. 442.

Most. 451. foris ambulatis, **natus nemo in aedibus**
servat, neque qui recludat neque quis respondeat

Stich. 625. eo quoque ibo. E. Di immortales, **hic** quidem pol **summam in crucem**
cena aut prandio perduci potest. G. Ita ingenium meumst.

Men. 1140. quomodo haec ad te pervenit? S. **Meretrix huc ad prandium**
me abduxit, me sibi dedisse aiebat. prandi perbene

Ep. 616. prius quam pereo? nam **per urbem duo defloccati senes**
quaeritant me, in manibus gestant copulas secum simul

Mil. 607. sed speculabor, ne **quis aut hinc aut ab laeva aut dextera**
nostro consilio venator adsit cum auritis plagis.

As. 209. Mil. 224. Ps. 1081.

Subiectum his locis cum notione, quae tempus indicatur, conexum est:

Aul. 109. id si relinquo ac non peto, **omnes ilico**
me suspicentur, credo, habere aurum domi

Bacch. 317. Quid? nescis? Ch. Quia **Mnesilochus noctu clanculum**
devenit ad Theotimum, nec mihi credere

Capt. 991. ut quidem hic argumenta loquitur. **nam is mecum a puero puer**
bene pudiceque educatust usque ad adulescentiam

hic in altero quoque versu tempus expressum est.

Cist. 537 miserrumam habui. ut illaec hodie quot modis
moderatrix linguae fuit atque immemorabilis

Mil. 59. qui sis tam pulcher; vel illae quae here pallio
me reprehenderunt. P. quid eae dixerunt tibi?

Most. 159. (sept. i.) Eventus rebus omnibus, velut horno messis magna
fuit. Ph. Quid ea messis attinet ad meam lavationem?

Frivol. VIII. tunc papillae primulum
sororiabant; illud volui dicere
fraterculabant.

Most. 1006. Poen. 228. Truc. 337.

Proximum est, ut eos locos afferam, in quibus subiectum conexum est cum notione, qua modus significatur:

Amph. 1113. metuens pueris, mihi formidans; tantoque angues acrius
persequi. postquam conspexit angues ille alter puer

Capt. 119. Omnes profecto liberi lubentius
sumus quam servimus. H. Non videre ita tu quidem

Cas. 340. Non hercle opinor posse, ita uxor acriter
tua instat, ne mihi detur. L. At ego sic agam

Cas. 772. fore huius quod futurumst; digne autem coqui
nimis lepide ei rei dant operam, ne cenet senex

Bacch. 317. iam tractatus est, Cas. 767. Poen. 553., cum substantivo pendente a praepositione vel ablativo: Bacch. 512. 519. a. Most. 348. Poen. 849.

De Capt. 85. prolatis rebus parasitici venatici
sumus, quando res redierunt, molossici

Leo in Anal. Pl. II. pg. 30. dixit; hic praecipue ad vocabulum „sumus" attendendum est, quod ad illud „molossici" alterius versus item spectat ut ad „venatici" prioris versus, quod quidem ab subiectum praeter „prolatis rebus" se applicat.

Ultimum eius generis exemplum

Trin. 509. dotem sorori; nam is de divitiis meis
solus superfit praeter vitam relicuos

reposui, quod eo clare probari potest iuncturam plurimis exemplis ostentatam poetae animo obversatam esse: nam certe „is de divitiis meis" ligata sunt, quod hoc temporis puncto in Lesbonici animo, quem vitae superioris paenitet, duae quasi imagines exsistunt, altera divitiarum effusarum altera paupertatis, in qua ager solus superest; „ager, dos, is" eandem rem significant.

Cum in Plauti fabulis notiones aliquas, quae secundum grammaticae leges non cohaerent, a poeta coniungi probaremus, quaesivimus, num etiam subiectum talibus notionibus se applicaverit atque demonstravimus ita esse. Reliqui sunt versus, in quibus subiectum sola ea de causa seiunctum esse putamus ut in insigni versus loco esset, nam ubique versus finem occupavit.

Saepe ita scribitur nomen proprium:

Capt. 698. quid hoc sit negoti? meus sodalis **Philocrates**
in libertate est ad patrem in patria. bene est

Aristophontes cognoscit amicum effugisse atque copia verborum ostendit quantopere hoc mirum sibi videatur, tandem exclamat: „meus sodalis Philocrates".

Cas. 994./5. tui amoris causa. L. Ego istuc feci? O. Immo **Hector Ilius**
te quidem oppresset. L. Feci ego istaec dicta quae vos dicitis?

voce „immo" subiectum grave esse intellegimus.

Mil. 592. redeo in senatum rusum; nam **Palaestrio**
domi nunc apud me est, Sceledrus nunc autemst foris

Most. 638. tuos emit. Th. Aedis? Tr. Aedis. Th. Euge, **Philolaches**
patrissat: iam homo in mercatura vortitur

Theopropides gavisus quod filius rem augere videtur exclamat: „euge Philolaches".

Poen. 460. ego faxo posthac **di deaeque ceteri**
contentiores mage erunt atque avidi minus

certe di deaeque vox tantum valet, quantum nomen proprium.

Ps. 699. nam et amicum et benevolentem ducis. sed istic **Pseudolus**
novos mihist. Cal. Nimium est mortalis graphicus heuretes mihi est

Stich. 247. Quo nunc is? C. Ad te. G. Quid venis? C. **Panegyris**
rogare iussit ted ut opere maximo

Trin. 545. Credo ego istuc, Stasime, ita esse; sed **Campans genus**
multo Surorum iam antidit patientia

adiectivum a nomine proprio derivatum cum substantivo coniunctum est. Praeterea affero: Cist. 173. Mil. 579. Poen. 901. Truc. 297.

Similiter nomina, quibus personae significantur a verbo t. dispesta sunt:

Mil. 62. 'immo eius frater' inquam 'est'. ibi illarum altera
'ergo mecastor pulcher est' inquit mihi

ubi colloquium alacriter habitum multis verbis temp. similia significantibus fingitur; audimus formas: „rogitabant, inquit, inquam, inquit"; subiectum „illarum altera" in fine versus scriptum est, ita, ut et in antecedentis (61.) et in subsequentis (63.) versus fine audiatur: „inquit mihi".

Poen. 1373. loqui inclementer? ne mirere, mulieres
quod eum secuntur: modo cognovit filias

observa sis in fine vs. 1372. patruo meo, 1373. mulieres, 1374. „filias" esse. Iam propono eius generis: Ep. 240. ibi illarum altera, Merc. 812. tuos pater bellissumus, Mil. 1315. materque et soror, Poen. 617. mulieres, Rud. 559. mulierculae, 641. mulieres, 646. mulieres. Pauci loci reliqui sunt:

Cas. 564. Non ergo opus est adiutrice? Cl. Satis domist. ubi nuptiae
fuerint, tum istam convenibo. nunc vale, atque istanc iube

haud scio an „nuptiae" cum „adiutrice" una cogitatum sit.

Cist. 664. Quid deos obsecras? Ph. Servate nos. L. Quid est?
Ph. Crepundia
haec sunt, quibuscum tu extulisti nostram filiolam ad necem

multos, cum de obiecto dispesto disputaremus, locos per quaestionem nostram dispersos attulimus, ubi versus ita structus erat, ut, si quis aliquid interrogabat, responsi gravissima vox in eodem versu audiretur.

Most. 79. triennium qui iam hinc abest, prius quam omnia
periere, et aedis et ager; qui nisi huc redit

eius quoque structurae, cum de obiecto dispesto disputaremus, multos locos attuli, ubi in priore versu particula atque obiectum — hic quidem subiectum — erant, cetera in altero demum versu sequebantur. Item structi sunt: Trin. 738. atque Truc. 432.

Tractatis versibus, quorum in priore subiectum, in altero praedicatum est, nobis in animo est eos tractare, quorum in priore subiectum atque obiectum sive accusativi sive dativi casus sive utriusque casus obiecta coniuncta sunt, praedicatum in altero sequitur.

III. Subiectum cum obiecto sive accusativi sive dativi casus coniunctum praecedit, verbum t. in altero versu sequitur.

Id quaestionibus supra peractis satis elucere puto a poeta notiones quasdam consulto coniunctas esse. Idem hac in parte factum esse videmus, atque iam a principio id statuere nobis licet locis, qui afferentur, ubique causam dirimendi illam esse, nam crebri sunt versus, in quibus subiectum atque obiectum personas significant, quibus in versibus persona quae aliquid facit, opponitur ei, quae aliquid patitur, quae quidem notiones in animis loquentium — poetam dico vel histriones — non magis quam audientium artissime coniunguntur; pariter iudicandum erit, si subiectum aut obiectum rem quandam significat, nam tum res cum personis artissime coniunguntur. In omnibus fere talibus exemplis pronomina inveniuntur atque ea personalia relativa demonstrativa indefinita. Primum igitur ea exempla tractabo, in quibus et subiectum et obiectum personas significant, tum ea, in quibus aut subiectum aut obiectum rem significat, denique ea, in quibus duae res sunt. Si eadem locutio notionis saepius occurrit, poetam consuevisse ita verba

collocare satis perspicuum est. Ita pronominis personalis formae cum nomine Iovis coniunctae saepius in versus fine inveniuntur: Amph. 1021. Tibi Iuppiter || dique omnes irati certo sunt, Bacch. 892. Cist. 519. Mil. 231. Most. 38. Poen. 488. 1325. Ps. 13. 836.

Iam videamus cetera. Ordiri mihi licet nunc ab eis locis, qui personas praebent, quae quasi natura cohaerent. As. 477. (sept. i.) tun libero homini || male servos loquere antitheton est, nam „tu" est servus. Nomina deorum coniunguntur cum pronomine, quod hominem significat:

Amph. 739. sed, mulier, postquam experrecta es, te prodigiali Iovi
aut mola salsa hodie aut ture comprecatam oportuit

subiectum accusativi cum infinitivo qu. d. est, quod hic saepius tractandum erit.

Rud. 624. ferte suppetias qui Veneri Veneriaeque antistitae
more antiquo in custodelam suom commiserunt caput.

Similis Amph. 474. quae facta. denique Alcumenam Iuppiter
rediget antiquam coniugi in concordiam.

In epistularum initio Plautum eum qui scribit cum eo ad quem scribitur coniungere videmus ut

As. 751. 'Diabolus Glauci filius Clearetae
lenae dedit dono argenti viginti minas

cf. Curc. 429. Ps. 41. 998. praeterea Pers. 501. qui locus verbum t. dispestum non habet.

Nomina eorum, qui consanguinitate coniuncti sunt in priore versu audiuntur:

As. 64. Omnes parentes, Libane, liberis suis,
qui mi auscultabunt, facient obsequellam

In Cist. versibus 602. quam vos igitur filiam || nunc quaeritatis alteram atque 600. 604. 607. in fine est „filiam". Similes sunt Men. 1117. Merc. 95. 201. Mil. 238. Pers. 157. Poen. 1050. 1104. Stich. 539.

Is, qui amat, atque ea, quae amatur, conexi sunt priore versu: Bacch. 842.

Ps. 482. quid ais? ecquam scis filium tibicinam
meum amare? Ps. *Ναὶ γάρ* S. Liberare quam velit

Similes sunt: Ep. 411. Mil. 111. Ps. 41. Truc. 309., cuius loci in altero versu antitheton „munerandis parsimonia" invenitur.

Vox hospitis reperitur:

Poen. 685. Blande hominem compellabo. hospes hospitem salutat. salvom te advenire gaudeo

item Poen. 1058. Servus atque eius erus vel era inveniuntur in priore versu:

Amph. 297. credo misericors est: nunc propterea quod me meus erus fecit ut vigilarem, hic pugnis faciet hodie ut dormiam.

Item As. 85. Bacch. 174. Accedunt aliae causae dirimendi. Insigni versus structura sunt:

Curc. 613. Quod argentum, quas tu mihi tricas narras? quam tu virginem
me reposcis? Th. Quam ab lenone abduxti hodie, scelus viri

Ps. 447. hic dux, hic illi est paedagogus, hunc ego
cupio excruciari. C. Iam istaec insipientiast

ter hic et illic eiusdem pronominis forma auditur.

Bacch. 406. sequere. Ph. Quo sequar? quo ducis nunc me? L. Ad illam quae tuom
perdidit, pessum dedit tibi filium unice unicum

„tuom“ grave est, quod pronomen similiter cadit atque „unicum“ alterius versus.

Men. 509. Neque hercle ego uxorem habeo neque ego Erotio
dedi nec pallam surrupui. Pen. Satin sanus es?

Peniculus interrogavit: „surrupuistin pallam uxori, dedisti Erotio“. Ad id respondet Menaechmus uno versu „uxorem Erotio“ complectens.

Men. 620. Numquis servorum deliquit? num ancillae aut servi tibi
responsant? eloquere. impune non erit. M. Nugas agis.

in priore versu sunt formae: „servorum ancillae servi“. Formae „servorum“ opponitur „tibi“, quod pronomen significat eram.

Poen. 381. Non ego homo trioboli sum, nisi ego illi mastigiae
exturbo oculos atque dentes. em voluptatem tibi

„homo trioboli mastigiae“ conexa sunt.

Ps. 1197. nihil est hodie hic sucophantis quaestus: proin tu Pseudolo
nunties abduxisse alium praedam, qui occurrit prior

sycophanta atque Pseudolus arte cohaerent.

Rud. 104. Sed utrum tu masne an femina es, qui illum patrem
voces? Pl. Vir sum equidem. Sc. Quaere vir porro patrem

„mas femina patrem“ coniuncta sunt; in utriusque versus fine est „patrem“.

Rud. 969. Non ferat, si dominus veniat? Gr. Dominus huic, ne frustra sis
nisi ego nemo natust, hunc qui cepi in venatu meo

bis auditur in priore versu „dominus“.

Truc. 283. Mulieres volo convenire vostras. Tr. Quas tu mulieres
mihi narras, ubi musca nulla feminast in aedibus?

bis est in priore versu „mulieres“.

Epid. 481. meam rere amicam posse? Per. Hanc, inquam, filius
meus deperibat fidicinam. Mil. Haec non est ea

„meam amicam-hanc“, quod est attributum obiecti, inter se opponuntur ut

Rud. 1148. ibi ego dicam quidquid inerit nominatim: tu mihi
nullum ostenderis; si falsa dicam frustra dixero

„ego tu“. Notio praecedens pronomine significatur:

Capt. 421. suom erum servos collaudavit. T. Pol istic me haud centesimam
partem laudat quam ipse meritust ut laudetur laudibus

Item Cas. 775. Mil. 111. Most. 501.

Reliqua sunt eius generis exempla: As. 524. tu tibi, Bacch. 111. Lycurgus mihi, 125. nemo tibi, Capt. 609. ego te, Philocrates, cui loco similis est Poen. 1172. tu istos, Milphio, Capt. 978. hic gnatum meum, Cist. 556. illaec ted anus, 585. se quandam mulierem, Curc. 420. me tibi, Men. 934. qui mihi, Merc. 427. mihi quidam adulescens, pater, 751. illi tibi, Most. 607. ego taetriorem beluam, 1079. vos sibi, Poen. 591. hunc vos lenonem Lycum, Rud. 1343. ego huic Gripo, Trin. 455. illum tibi, 459. te mihi, 1046. id genus hominum omnibus.

Si perlustramus eos versus, in quibus subiectum aut obiectum rem significat, aliquot locos facile complectimur, qui similem collocationem habent, velut notio „pedem inferre, intro ferre, imponere“ invenitur. Men. 380. qui huc in hanc urbem pedem || nisi hodie nunquam intro tetulit, Men. 818. Most. 433. Rud. 489. Similiter distributae sunt voces per versus:

Aul. 787. Bono animo es, bene dice. nunc quae res tibi et gnatae tuae
bene feliciterque vortat — ita di faxint, inquito

Trin. 40. uxor, venerare ut nobis haec habitatio
bona fausta felix fortunataque evenat.

Poeta subiectum atque obiectum quam artissime coniungi voluit:

Aul. 288. non istuc quo tu insimulas, sed erus nuptias
meus hodie faciet. A. Cuius ducit fiiam?

Men. 659. cuiquam utendum. mulierem aequom est vestimentum muliebre
dare foras virum virile

Most. 637. vosmet igitur, si salvomst. Tr. Aedis filius
tuos emit. Th. Aedis? Tr. Aedis. Th. Euge Philolaches

quinquies auditur in versibus 637. 638. 640. vox aedium.

Ps. 53. et prius quam hinc abiit, quindecim miles minas
dederat; nunc unae quinque remorantur minae

in utriusque versus fine auditur vox minarum. Merc. 405. Most. 1031. Ps. 1193. Trin. 425. Truc. 741. Restat Most. 780., qui locus figuratum sermonem habet

nam muliones mulos clitellarios
habent, at ego habeo homines clitellarios.

Propter ea, quae praecedunt, subiectum atque obiectum in priore versu collocata sunt:

Aul. 492. hoc si ita fiat, mores meliores sibi
parent, pro dote quos ferant, quam nunc ferunt

Megadorus disserit saluti omnium optimum fore, si opulentiores pauperiorum filias in matrimonium ducerent: „si id fiat, mores meliores sibi . . .“

Capt. 620. sed hoc primum, me expurigare tibi volo, me insaniam
neque tenere neque mi esse ullum morbum, nisi quod servio.

Aristophontes insaniae insimulatus est, propter quod crimen se expurgaturus est. Men. 369. Trin. 666. Truc. 654.

Quod gravia sunt subiectum atque obiectum dispesta atque in prioris versus fine collocata sunt: Bacch. 1019. quod Chrysalus || me obiurigavit, Ep. 389. quasi quid filius || meus deliquisset, Trin. 843. 1139. Restant:

Pers. 674. probam et sapientem et sobriam. Vir. Si quid bonis
boni fit, esse id et grave et gratum solet

versus constant ex compluribus adiectivis. Capt. 400. Poen. 1375. Merc. 6. Most. 899. Trin. 1147.

Non solum subiectum cum obiecto in priore versu conexum invenitur, sed accedunt ad illa aliae notiones, quibus locus aut tempus aut modus exprimitur; quorum versuum primum eos afferam, in quibus subiectum atque obiectum

personas significant, tum illa, in quibus alterum rem significat, atque his locis additur significatio loci:

Amph. 467. narrabit servom hinc sese a foribus Sosiam
amovisse; ille adeo illum mentiri sibi

Aul. 465. condigne etiam meus med intus gallus gallinacius
qui erat anu peculiaris, perdidit paenissume

Men. 632. non ego te modo hic ante aedis cum corona florea
vidi astare? quom negabas mi esse sanum sinciput

Amph. fgm. XVI. qui domi uxorem meam, As. 884. egon ut non domo uxori meae, Cist. 775. Lampadionem me in foro, Curc. 429. Miles Lyconi in Epidauro hospiti, Men. 511. Mil. 930. (sept. i.) ego ad forum illum, Most. 971. Ps. 896. Rud. 128. Stich. 404.

Iam affero ea exempla, in quorum priore versu tempus expressum est: Amph. 706. quae me hodie advenientem domum, Pers. 733. ne ego hodie tibi, Poen. 452. Rud. 892. Trin. 25.

Amph. 516. numquam edepol quemquam mortalem credo ego uxorem suam
sic ecflictim amare, proinde ut hic te ecflictim deperit

Trin. 574. numquam, Merc. 90. qui olim puero parvolo || mihi paedagogus fuerat, Bacch. 963. olim, Ps. 199. olim, Epid. 458. dudum, Men. 302. saepissime, Ps. 16. nam tu me antidhac, Truc. 413. nunc tu te interim, Merc. 972. istac aetate, Men. 500. unquam ante hunc diem.

Modus indicatur: Cas. 602. eapse ultro mihi || negavit, Rud. 721. extemplo hercle ego te follem pugilatorium || faciam, Mil. 52. ubi tu quingentos simul, Ps. 669. nam ipsa mi Opportunitas non potuit opportunius, Rud. 1391. te mihi benigne itidem addecet, Poen. 881. lubenter, Bacch. 475. sedulo.

Praeterea iis, quos infra scipsi versibus, obiectum atque subiectum cum aliqua voce conexa sunt:

Ep. 666. Satine illic homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos
habet? A. Immo edepol tu quidem miserum med habes miseris modis

Rud. 839. Meamne ille amicam leno vi, violentia
de ara deripere Veneris voluit?

Amph. 285. 470. 682 Curc. 389. Mil. 147. Truc. 519.

Reliqui sunt hi loci:

Mil. 486. non hercle hisce homines me marem, sed feminam
vicini rentur esse servi militis

Truc. 392. qui quasi uxorem sibi || me habebat

Aul. 60. scelestiorem me hac anu certo scio
vidisse numquam, nimisque ego hanc metuo male

As. 112. ne quid nocere possit, cum tu mihi tua
oratione omnem animum ostendisti tuom.

Addere mihi licet paucos locos, in quibus obiectum sententia secundaria sequitur: Ep. 575. quia ego hanc quae siet || neque scio neque novi, Merc. 20. Rud. 1008. Ad obiectum accedit nomen, quo de aliquo aliquid statuitur As. 80. is me dignum quoi concrederet. Restat Ps. 584.

Pariter ad obiectum aut subiectum quod rem significat, notio aliqua, qua locus aut tempus aut modus exprimitur se applicat: Curc. 280. ego hic officium meum || facio, Most. 1016. hic, Rud. 643. hic, Men. 380. qui huc in hanc urbem pedem || intro tetulit, Most. 997. unde aedis filius || meus emit, Most. 910. ego ipse et Philolaches in publico omnes porticus || sumus commensi, Vid. 69. ne tu edepol hodie miserias multas tuas || mihi narravisti, Pers. 824. olim quem Hegea || faciebat, Amph. 566. quod nemo unquam homo antehac || vidit, Men. 818. te unquam pedem || in eas aedis intulisse, Rud. 489. quae numquam pedem, As. 360. si ille argentum prius || hospes huc affert, Cas. 259. te senecta aetate officium tuom || non meminisse, Cist. 294. haec tu pervorsario || mihi fabulatu's, Ep. 565. ille eam rem adeo sobrie et frugaliter || accuravit, Ep. 146. facile tu istuc sine periclo et cura corde libero || fabulare.

Nonnunquam ad obiectum vel subiectum vox aliqua a praepositione pendens se applicat: Rud. 1365. cum istaec res tibi ex sententia || pulchre evenit, As. 896. ne tu istuc cum malo magno tuo || dixisti in me, As. 909. Trin. 153., ad obiectum ablativus se applicat: Men. 199. nimio ego hanc periculo || surrupui hodie, Merc. 56. Stich. 272. Ad obiectum dativus se applicat: Most. 532. scelestiorem ego annum argento faenori || numquam ullum vidi. Sententia secundaria sequitur: Aul. 401. Cas. 89. Curc. 23.

Raro et subiectum et obiectum a praedicato dispesta res significant:

Poen. 212. nam nullae magis res duae plus negoti
habent, forte si occeperis exornare

Ps. 58. cum eo simul me mitteret. ei rei dies
haec praestituta est, proxuma Dionysia

Ps. 622. Quia videre inde esse; nam olim, quom abiit, argento haec dies
praestitutast, quoad referret nobis, neque dum rettulit.

Non solum subiectum atque obiectum in priore versu coniuncta inveniuntur, sed accedit ad ea etiam dativus ita, ut illa omnia fere pronomina sint. Tria membra significant personas:

Capt. 1012. vendidit patri meo te sex minis, is te mihi
parvolum peculiarem parvolo puero dedit

Cist. 181. eam se servo ilico || dedisse, Cist. 570. 600. Ps. 51. Rud. 748. Trin. 690.

Crebrius coniunguntur notiones, quarum una vel altera rem significat. Amph. 760. te auream pateram mihi || dedisse dono, Amph. 763. quis istuc tibi || dixit, Ps. 998. miles lenoni Ballioni epistulam || mittit, Amph. 556. 833. Aul. 551. 671. Bacch. 969. (alter versus dim. iamb. ac.) Capt. 711. Cas. 478. Cist. 561. Curc. 255. Men. 466. Merc. 269. Mil. 618. Most. 427. Stich. 765. Trin. 1142. Restant Amph. 492. nemo id probro || ducet, Amph. 869. quam vir insontem probri || Amphitruo accusat, Amph. 894. atque illi dudum meus amor negotium || insonti exhibuit, Capt. 687.

IV. Praedicatum antecedit, obiectum in altero versu sequitur.

Scriptorum Latinorum libros legentibus constat verba in enuntiatis ita fere collocari, ut verbum t. subiectum atque obiectum sequatur. Qua de causa non miramur ea exempla quaestionis nostrae, ubi verbum t. antecedit, non tam multa esse quam quae supra tractata sunt. Id quoque rem nondum singillatim perlustrantes statuimus ubique non minus ac parte pertractata certa lege vel certo poetae consilio verba in illum modum distributa esse. Homines mathematicarum artium periti in calculis rationibusque suis recte se ratiocinatos esse probantes demonstrant ratione inversa numerum parem effici. Nos quoque eo modo quaeramus num in illis exemplis ubi subiectum aut obiectum in altero versu est aliis alterius versus notionibus effectum sit, ut in hoc versu collocaretur. Ordientes ab obiecto inveniemus ita esse.

His locis obiectum in altero versu positum sententia secundaria sequitur:

As. 589. (sept. i.) nimis vellem habere perticam. Li. Quoi rei? Le. Qui verberarem
asinos, si forte occeperint clamare hinc ex crumina

Curc. 347. meo tabellas obsignatas attulisset, ut daret
operam, ut mulierem a lenone cum auro et veste abduceret

Ep. 196. age, si quid agis. di immortales, utinam conveniam domi
Periphanem, per omnem urbem quem sum defessus quaerere

Merc. 256. postquam id quod volui transegi, atque ego conspicor
navem ex Rhodo quast heri advectus filius

Capt. 362. Cist. 651. Ep. 243. Men. 475. Merc. 864. Mil. 73. Rud. 1206. Stich. 367. Truc. 22. 403. 579.

Crebro accedunt ad obiectum aliquae notiones, quibus obiectum illustratur. Si notio est adiectivum vel participium ut As. 574. (sept. i.) Merc. 413. Pers. 520. loci facile excusantur. Ei quoque excusationem habent, ubi obiectum notio a praepositione pendens sequitur:

Ps. 419. eum velle amicam liberare et quaerere
argentum ad eam rem. hoc alii mihi renuntiant

Mil. 803. Truc. 661.

Mil. 635. Immo hospes, magis cum periclum facies, magis nosces meam
comitatem erga te amantem. Pl. Quid opus nota noscere?

As. 502. (sept. i.) Fortasse. L. Atque etiam tu quoque ipse, si esses percontatus
me ex aliis, scio pol crederes nunc quod fers. Merc. Haud negassim

As. 52. Aul. 806. (sept. i.) Merc. 953. meo patri cum matre, Most. 897. abstine || iam sermonem de istis rebus, Rud. 691. (sept. i.) vobis pro castris.

Obiectum cum accusativo conexum est:

Trin. 508. Philto, est ager sub urbe hic nobis: eum dabo
dotem sorori; nam is de divitiis meis

Trin. 125. Truc. 826.

Coniuncta sunt duo obiecta alterum accusativi alterum dativi casus:

As. 664. Da, meus ocellus, mea rosa, mi anime, mea voluptcs,
Leonida, argentum mihi, ne nos diiunge amantis

Curc. 658. Frater mi, salve. Ph. Deos volo bene vortere
istam rem vobis. C. Et ego nobis omnibus

ubi opponuntur „vobis nobis“, Merc. 678. Most. 1087. Rud. 777. 1379. Trin. 83. 130.

Genetivus cum obiecto coniunctus est:

Rud. 1120. ut iubeas hunc reddere illis; ob eam si quid postulat
sibi mercedis, dabitur: aliud quidquid ibi est habeat sibi

in alterius versus exitu et initio auditur „sibi“. Truc. 292. Similis est

Aul. 610. edepol ne illic pulchram praedam agat, si quis illam [1] invenerit
aulam onustam auri; verum id te quaeso ut prohibessis, Fides

Ablativus ad obiectum se applicat:

Merc. 486. Visne eam ad portum — C. Qui potius quam voles? E. Atque eximam
mulierem pretio? C. Qui potius quam auro expendas? E. Unde erit?

Aul. 103. Poen. 406.

Vocativus sequitur:

Men. 156. Te morare, mihi quom obloquere. Pen. Oculum ecfodito per solum
mihi, Menaechme, si ullum verbum faxo nisi quod iusseris

Trin. 436.

Obiectum cum adverbio conexum est:

Bacch. 555. facere faceres. Pist. Dic modo hominem qui sit: si non fecero
ei male aliquo pacto, me esse dicito ignavissimum.

Eadem vox in altero verso bis terve auditur:

Aul. 373. venio ad macellum, rogito pisces: indicant
caros, agninam caram, caram bubulam

Bacch. 684. mi male consuluisse: ob eam rem omne aurum iratus reddidi
meo patri. Ch. Quid, ubi reddebas aurum, dixisti patri?

Cas. 491. abi atque obsona, propera, sed lepide volo
molliculas escas, ut ipsa mollicula est. Ol. Licet.

---

[1]) Prescott pg. 250.: The regularity with which the separated noun in these and many other cases stands at the beginning of the second verse with many words intervening between it and te pronominal adjective — a mystery followed by its solution — conveys the effect of a personal pronoun and an appositive — „him . . . . . my son,“ sq. Similiter iudicat Wiebe pg. 55.: Pronomen ille saepe ita dirimitur ut substantivum appositio sit.

Mil. 355. (sept. i.) At metuo ut satis sis subdola. Ph. Cedo vel decem, edocebo
minime malas ut sint malae, mihi solae quod superfit

Ps. 294. omnes homines tibi patres sunt? nullus est tibi quem roges
mutuom argentum? C. Quin nomen quoque iam interiit mutuom

Rud. 798. i dum, Turbalio, curriculo, adferto domo
duas clavas. Labr. Clavas? D. Sed probas. propera cito.

Adnominatione cohaeret obiectum cum insequenti voce:

Truc. 454./5. (tetr. bacch. ac.) quanta est cura in animo, quantum corde capio
dolorem — dolus ne occidat morte pueri

Saepius obiectum explicatur eis, quae sequuntur:

Aul. 74. neque iam quo pacto celem erilis filiae
probrum, propinqua partitudo cui appetit

vox probri explicatur.

Aul. 820. (oct. tr.) Ere, mane, eloquar iam, ausculta. L. Age ergo loquere. S. Repperi hodie,
ere, divitias nimias. L. Ubinam? S. Quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam

divitiae in aula sunt.

Men. 919./20. audin tu ut deliramenta loquitur? quid cessas dare
potionis aliquid prius quam percipit insania

potione medici insaniae medentur.

Nonnullis exemplis obiectum excipitur alia voce ut substantivo:

Capt. 139. Ne fle. Erg. Egone illum non fleam? egon non defleam
talem adulescentem? Heg. Semper sensi, filio

„adulescentem“ ac „filio“ eundem significant.

Truc. 561. nam iam de hoc obsonio de mina deminui una modo
quinque nummos: mihi detraxi partem Herculaneam

similiter eadem res in versus fine et in initio nominatur:

Obiectum excipitur adverbiis aut pronominibus:

Merc. 66. neque nisi quinto anno quoque positum visere
urbam, atque extemplo inde, ut spectavisset peplum

Bacch. 271. damnatus demum, vi coactus reddidit
ducentos et mille Philippum. Nic. Tantum debuit

Most. 622. quod illud argentum est? Tr. Est — huic debet Philolaches
paulum. Th. Quantillum? Tr. Quasi — quadraginta minas

Eius generis quoque sunt: Ep. 100.

Ep. 446. nam strenuiori deterior si praedicat
suas pugnas, de illius illae fiunt sordidae

Poen. 1118. Heus, ecquis hic est? nuntiate ut prodeat
foras Giddeneni. est qui illam conventam esse volt

Restat

Ps. 767. Cui servitutem di danunt lenoniam
puero, atque eidem si addunt turpitudinem.

Opponitur obiecto vox aliqua:

As. 814. praeripias scortum amanti atque argentum obicias
lenae? suppilcs clam domi uxorem tuam?

lenae opponitur uxor, ut Aul. 620.

ibo hinc intro, perscrutabor fanum, si inveniam uspiam
aurum, dum hic est occupatus. sed si repperero, o Fides

„aurum“ opponitur „hic“ pronomini, quod significat Euclionem, cuius est illud aurum. Praeterea sunt eius generis:

Curc. 432. Tecum oro et quaeso, qui has tabellas adferet
tibi, ut ei detur quam istic emi virginem

ubi opponuntur „tibi“ atque „ei“.

Most. 198. postremo, si dictis nequis perduci, ut vera haec credas
mea dicta, ex factis nosce rem. vides quae sim; et quae fui ante

„dicta“ ac „facta“,

Most. 598. quoi sortem accipere iam licet? D. Quin non peto
sortem: illuc primum, faenus reddundum est mihi

„sortem“ ac „faenus“,

Poen. 674. Neque nos hortari neque dehortari decet
hominem peregrinum: tuam rem tu ages, si sapis

„hominem peregrinum“ ac „tuam rem tu ages“.

Nonnunquam obiectum in altero versu collocatum sequitur verbum temp., quo aliquid exprimitur, quod pertinet ad significatum obiecti:

Ep. 451. divitias magnas indeptum? P. Immo si audias
meas pugnas, fugias manibus dimissis domum

„fugias“ sequitur „pugnas“, nam illud pugnis effectum est.

Most. 23. amicas emite, liberate, pascite
parasitos, obsonate pollucibiliter

notio obsonandi facile cum parasiti conectitur.

Cum insequenti verbo obiectum hic quoque cohaeret:

Cist. 55. (sept. i.) neque munda adaeque es, ut soles (hoc sis vide, ut petivit
suspiritum alte) et pallida es. eloquere utrumque nobis

Selenium suspiritum petit ac pallida est, quod se excruciat.

Mil. 1343. Iam resipisti? Ph. Obsecro, quem [1]) amplexa sum hominem? perii. sumne ego apud me? Pl. Ne time, voluptas mea

Philocomasium, cum animus redeat, qui eam reliquerat, exclamat: „quem amplexa sum hominem" atque ne miles animadvertat se Pleusiclem novisse nullo intervallo intermisso adiungit: „perii". Nescio an commemorandum sit

Bacch. 185. hospitium et cenam pollicere, ut convenit peregre advenienti: ego autem venturum adnuo

ubi eiusdem verbi duae formae audiuntur atque „ego adnuo" se applicat ad „advenienti". Hic addere mihi licet:

Men. 658. Equidem ecastor tuam nec chlamydem do foras nec pallium cuiquam utendum. mulierem aequom est vestimentum muliebre.

Tribus locis obiectum et pendet a verbo temporali in priore versu collocato et ab altero in altero versu posito:

Men. 507. Responde, surrupuistin uxori tuae pallam istanc hodie atque dedisti Erotio?

in utroque versu verbo dativus sequitur.

Mil. 233. dum in regionem astutiarum mearum te induco, ut scias iuxta mecum mea consilia. P. Salva sumes indidem

Mil. 701. Di tibi propitii sunt, nam hercle si istam [2]) semel amiseris libertatem, haud facile in eundem rusum restitues locum

de quo loco iam Wiebius hoc statuit: Hoc loco nomen ad sententiam primariam quae sequitur subaudiendum est, eaque de causa in initio alterius versus collocatur.

Similes sunt loci

Ps. 952. (sept. i.) Tertium hoc est. Sim. St tace, aedes hiscunt. Ps. Credo animo malest aedibus. S. Quid iam? Ps. Quia edepol ipsum lenonem evomunt

„aedes" subaudiendum est ad „evomunt", sicut

Rud. 1208. sunt domi agni et porci sacres. sed quid istum remoramini mulieres, Trachalionem? atque optime eccum exit foras

„Trachalio" subaudiendum est ad „exit".

Rud. 454. sed quid ego cesso fugere in fanum ac dicere haec Palaestrae, in aram ut confugiamus prius quam huc

„Palaestra" quoque in „confugiamus" subauditur.

---

[1]) cf. Prescott, pg. 255., Wiebe pg. 50.
[2]) cf. Prescott, pg. 250., Wiebe pg. 54.

Men. 511. occisast haec res. non ego te indutum foras exire vidi pallam? Men. Vae capiti tuo

„pallam" a „vidi" pendere putaveris.

Totidem locis cum obiecto conexa sunt aliae notiones quae ad illud pertinent et cum illo alterum versum explent.

Merc. 689. Credo mecastor. S. Ei hac mecum, ut videas semul tuam Alcumenam paelicem, Iuno mea

ubi accedit vocativus, qui obiecto quasi contrarius est.

Merc. 779. potine ut molestus ne sis? C. Agite apponite obsonium istuc ante pedes illi seni

accedit ad obiectum accusativi alterum dativi casus.

Mil. 174. modo nescio quis inspectavit vestrum familiarium per nostrum impluvium intus apud nos Philocomasium atque hospitem

Obiectum significat pecuniae summam:

Most. 912. Di immortales, mercimoni lepidi. si hercle nunc ferat sex talenta magna argenti pro istis praesentaria

quo loco voces ab obiecto pendentes cum illo alterum versum explent. Pers. 742. Poen. 1362.

Certum poetae consilium saepius non inveni, quam ob rem propter ambitum obiectum diremptum esse putaverim, quam quidem causam dirimendi esse ex Prescottii Wiebiique studiis constat. In nostra quoque quaestione propter longitudinem voces diiungi apparet cum in verbis temporalibus collocandis poetam certum usum habere viderimus.

Amph. 764. dixit? Alc. Ego equidem ex te audivi et ex tua accepi manu pateram. Amph. Mane, mane, obsecro te. nimis demiror, Sosia

colloquio inter Amphitruonem et Alcumenam acriter habito haec indignata crimen Amphitruonis falsum iniuriaque se affici voce iam ostentans respondet: „ex te audivi ex tua accepi manu pateram", ita ut „pateram" in alterius versus initio vi efferatur.

Bacch. 905. ille est amotus. sine me (per te, ere, opsecro deos immortales) ire huc intro ad filium

Cas. 342. coniciam sortis in sitellam et sortiar tibi et Chalino. ita rem natam intellego

Cist. 579. 'avecta est' inquit 'peregre hinc habitatum'. Mel. Obsipat aculam. L.' Quo avecta est, eo sequemur. sicine

Cist. 650. ilico: hanc ego tetulero intra limen. Mel. Abiit, abstulit mulierem. ibo, persequar iam illum intro, ut haec ex me sciat

Mil. 295. nam tibi iam ut pereas paratum est dupliciter nisi supprimis tuom stultiloquium. Sc. Qui vero dupliciter? P. Dicam tibi

Most. 517. Quaeso — Tr. Cave verbum faxis. Th. Dic quid segreges sermonem. Tr. Apage hinc te. Th. Quae res te agitat, Tranio?

Pers. 68. si legirupam qui damnet, det in publicum
dimidium; atque etiam in ea lege adscribier

Pers. 542. persequatur. etiam tu illam destinas? Dor. Videam modo mercimonium. Tox. Aequa dicis. sed optume eccum ipse advenit

Rud. 1210. Ubi ubi erit, iam investigabo et mecum ad te adducam simul Plesidippum. Daem. Eloquere ut haec res optigit de filia.

Restant pauci loci. Facile excusantur:

Ep. 480. Haec inquamst. Mil. Non haec inquamst. non novisse me meam rere amicam posse? P. Hanc, inquam, filius

Curc. 637. is prius quam moritur mihi dedit tamquam suo,
ut aequom fuerat, filio. Pl. Pro Iuppiter

Trin. 146. Circumspicedum te, ne quis adsit arbiter
nobis, et quaeso identidem circumspice.

Men. 334. nimis miror, quid hoc sit negoti. Mess. Oboluit marsuppium huic istuc quod habes. Men. Atque edepol tu me monuisti probe.

Certum poetae consilium non inveni:

Rud. 657. Turbalio, Sparax, ubi estis? Tr. I obsecro intro, subveni illis. D. Iterum haud imperabo. sequimini hac. Tr. Age nunciam.

V. Praedicatum antecedit, subiectum in altero versu sequitur.

Transeo ad eos versus, in quibus poeta voces ita distribuit, ut subiectum in altero versu, verbum temp. in priore versu collocatum sit. Sententia secundaria subsequitur subiectum:

Men. 900. quae me clam ratus sum facere, ea omnia fecit palam,
parasitus, qui me complevit flagiti et formidinis
meus Ulixes, suo qui regi tantum concivit mali

Merc. 100. discubitum noctu ut imus, ecce ad me advenit
mulier, qua mulier alia nullast pulchrior

Amph. 825. Cas. 536. Pers. 543. Poen. 713. Ps. 688. Subiectum cum notionibus ad id pertinentibus alterum versum explet: Bacch. 772. Capt. 94. Men. 690.

Subiectum alio casu iterum auditur:

Ps. 960. Habui numerum sedulo: hoc est sextum a porta proxumum angiportum, in id angiportum me devorti iusserat

Mil. 1391. qui omnis se amare credit, quaeque aspexerit
mulier: eum oderunt qua viri qua mulieres

Nonnunquam de eadem re aut persona, quae subiecto significatur, reliqua versus parte sermo est:

Aul. 151. (dim. an. ac.) quia mihi misero cerebrum excutiunt
tua dicta, soror: lapides loqueris

Capt. 998. Vidi ego multa saepe picta, quae Acherunti fierent
cruciamenta, verum enim vero nulla adaeque est Acheruns

Curc. 594. non vidi aut audivi, neque pol dici nec fingi potest
peior quam haec est: quae ubi me habere hunc conspicatast anulum

Most. 84. (tetr. bacch.) recordatus multum et diu cogitavi
argumentaque in pectus institui multa
ego, atque in meo corde, si est quod mihi cor

Poen. 165. Ego faciam ut facias. sunt tibi intus aurei
trecenti nummi Philippi? A. Sescenti quoque

cui loco similis est Poen. 713.

Rud. 1058. Quid negotist? Vir scelestus illic est. D. Quid fecit tibi
vir scelestus? Tr. Homini ego isti talos subfringi volo

Trin. 745. perlongumst: huic ducendi interea abscesserit
lubido; atque ea condicio huic vel primaria est.

Duo sunt loci Rudentis, in quibus subiectum ut vi efferatur, in altero versu collocatum enuntiatum sequitur, quod ad illud referri potest.

Rud. 403. (sept. i.) ego eo intro, nisi quid vis. — A. Eas, ego quod mihi imperavit
sacerdos, id faciam atque aquam hinc de proximo rogabo

Rud. 476. nempe optimo me iure in vinclis enicet
magistratus si quis me hanc habere viderit

Nonnullis locis personae alicui alia opponitur:

Mil. 140. nam unum conclave, concubinae quod dedit
miles, quo nemo nisi **eapse** inferret pedem

Mil. 182. I sis, iube transire huc quantum possit, se ut videant domi
familiares, nisi quidem **illa** nos volt, qui **servi** sumus

Mil. 1152. nunc haec res apud summum puteum geritur: si praesenserit
miles: nihil ecferri poterit **huius;** nunc cum maxime

Rud. 58. (prol.) Trin. 324.

Ad subiectum accedunt notiones aliquae, quae in poetae animo arte cum illo coniunguntur:

Cist. 528. Abiit intro iratus. quid ego nunc agam? si redierit
illa ad hunc, ibidem loci res erit: ubi odium occeperit

Bacch. 235. Cas. 350. Ep. 279. Merc. 623. Most. 56. Hic addere licet:

Bacch. 413. nunc propter te tuamque pravos factus est fiduciam
Pistoclerus. Mnes. Di immortales, meum sodalem hic nominat

Mnesilochus cum Pistocleri nomen audiverit, statim exclamat: „sodalem nominat".

Duobus locis subiectum pendet a verbo t. in priore versu positum atque pertinet ad alterum in altero versu positum:

Most. 484. Ego dicam, ausculta. ut foris cenaverat
tuos gnatus, postquam rediit a cena domum

Trin. 169. Adesurivit magis et inhiavit acrius
lupus, observavit dum dormitarent canes

Hic addere licet:

Ep. 404. Docte et sapienter dicis. num nimis potest
pudicitiam quisquam suae servare filiae

„quisquam" in verbo „servare" subaudiendum est, ut

Mil. 242. Ut si illic concriminatus sit advorsum militem
meus conservos, eam vidisse hic cum alieno oscularier

„meus conservos" ad „vidisse".

Pauca exempla relinquuntur:

Amph. 211. (oct. i.) haec ubi Telebois ordine iterarunt quos praefecerat
Amphitruo, magnanimi viri freti virtute et viribus

subiectum, quod est nomen proprium, in alterius versus initio est.

Aul. 517. iam hosce absolutos censeas: cedunt petunt
treceni, cum stant thylacistae in atriis

est numerale, de quibus Prescott pg. 257. dicit: The numerals have an independent existence.

Ep. 407. sumus praemercati. P. Quid iam? A. Quia dixit mihi
iam dudum se alius tuom vidisse hic filium

non solum „se alius" conexa sunt, sed „alius" etiam ad „vidisse" subaudiendum est.

Reliquum est, ut ea exempla afferam, in quibus in altero versu ad subiectum additum est obiectum.

Cist. 609. haec est prior, quae nupta nunc est? L. Conteris
tu tua me oratione, mulier, quisquis es

tractatum est a Leone in Nachr. d. Gött. G. d. Wiss. 1895. pg. 432. Amph. 491. Ep. 388. Merc. 531. (sept. i.) Most. 468. Poen. 1378. Trin. 736. Faen. I.

Most. 948. Non sunt istae aedis, ubi statis. Ph. Quid ais? an iam vendidit
aedis Philolaches? aut quidem iste nos defrustratur senex.



Peroratio.

Longa, quam percurrimus via, haec statuimus:

1) Plautum consuevisse verba temporalia collocare in fine versuum aut in initio, saepe ita, ut versus quasi circumscribatur duobus verbis, aut loco, qui est ante aut loco post caesuram vel diaeresin; verba autem saepe a fine vel initio versus vel loco ante aut post caesuram vel diaeresin vocibus minus gravibus seiungi; quem usum iam in versibus Saturniis inveniri constare.

2) Deinde cognovimus verba t. a subiectis vel obiectis versus fine seiuncta inter se petere, quod sensu aliqua ratione cohaerent atque quod saepe ita conexa sunt in poetae animo, ut quasi una notione comprehendantur. (nos dicimus „Gesamtvorstellung".)


3) Si obiectum a verbo t. seiunctum est, variae sunt causae. Obiectum sequitur sententia secundaria aut attributum aut vocativus; aut obiectum in priore versu collocatum est, quod optime notiones in eo versu antecedentes sequitur aut quod quasi allicitur una voce ut illud „ianua extemplo ianitorem". Saepe praeterea accedit verbum a quo non pendet, sed quocum animi ratione facile conectitur. (ea dico exempla ut illud „occeperunt ratem turbare") aut ex duabus notionibus contrarie referendis altera obiectum est. Multis locis obiectum cum notionibus, quibus locus aut tempus aut modus significatur, conexum est, quibuscum una obversatur poetae animo, aut duo obiecta sunt aut obiectum seiunctum vi effertur.

4) Aequis omnino rationibus subiectum a verbo t. seiungi cognovimus. In ea autem parte quaestionis nostrae praeterea statuimus pronomina personalia subiecta semper ad alias voces se applicare quibuscum is, qui loquitur, pronomen conectit.

5) Tum quaesivimus quibus rationibus subiecta cum obiectis conectantur, ita, ut verbum temporale in altero demum versu sequatur.

6) Denique similes disiungendi rationes invenimus eis locis, ubi verba temporalia in priore versu sunt, subiecta autem et obiecta in altero.

Conspectus.



Vita.

Natus sum Eduardus Linpinsel Hagenae a. d. IV. Kal. Mart. a. 1887. patre Iosepho, matre Anna de gente Röttgers. Fidei addictus sum catholicae. Per novem annos Gymnasium Hagense frequentavi. Vere a. 1905. maturitatis q. d. testimonium adeptus primum Friburgi per sex menses, deinde Lipsiae per bis senos menses, tum Berolinae per ter senos menses, denique Monasterii studiis philologicis operam dedi. Docuerunt me viri docti Friburgenses: Fabricius, Lommatzsch, Schmalz, Schmidt, v. Simson; Lipsienses: Brandenburg, Brugmann, Gardthausen, Immisch, Martini, Marx, Schreiber, Studniczka, Volkelt; Berolinenses: Dessoir, Diels, Heusler, Lasson, Münch, Norden, Paulsen, Roediger, Roethe, E. Schmidt, de Wilamowitz-Moellendorff; Monasterienses: Cauer, Kroll, Münscher, Radermacher, Schwering, Seeck, Sonnenburg. Per sex menses seminarii philologici sodalis fui.

In hac commentatione perficienda imprimis Sonnenburgii doctrina atque consilio frui mihi licuit, cui maximam habeo gratiam.

